45851/B

Dr. Moxens Exallet.

F
XIV
S/18

Complet

F. XIV. 5
18

DE ANALOGIA

INTER

SCORBUTUM, ET QUASDAM FEBRES

TENTAMEN.

AUCTORE

Doctore Francisco Salvá Regiarum Academiarum Barcinonensium, Medicinæ practicæ, atque scientiarum naturalium, et artium, nec non Cæsaraugustanæ bono patriæ laborantium, ac medicæ Parisiensis Socio.

CUM LICENTIA.

BARCINONE: Excudebat MATHÆUS BARCELÓ Typographus, in Plateâ Junqueras.

MDCCXCIV.

Statim apparet hos (morbos) varietate quidem infinitos ratione symptomatum, tamen ex origine non adeo composita pendere; neque tam varia medicamenta, medendive methodum requirere.

Boerhaave aph. 1056. de cogn. et curand. morb.

PRÆFATIO.

Super quœstionem de re ad febres putridas, et scorbutum pertinente, anno 1790 á medica Parisiensi Academia propositam, hanc Dissertationem scripseram, et ejus juditio, censuræque commiseram. Hanc perlegére academici judices, et suum de ea juditium ita protulerunt; nempe se desiderare, ut ulteriori elucidatione ipsius argumenta pertractarentur. Quare Appendicem huic subjunctum misi, ea spe

ut Academia comitiis die 25 Augusti proximé elapsi anni celebrandis, ut promiserat, ultimam rei sententiam promulgaret. Cum autem hæc quindecim fere diebus ante præfata comitia celebranda proscripta fuisset, et dissoluta, nec ea habere, nec expectatum juditium ferre potuit. Quapropter mecum constitueram hanc meam elucubrationem ineditam servare, quousque gallicâ tempestate sedata, regenerata Societas posset illam dijudicare. Nunc vero cum audierim castrensium nosocomiorum febres, nostrum Russilionis exercitum depopulantes, sævissime propagari; sententiam mutavi, et oportunum credidi hoc scriptum publici juris facere, quod forte eis decumbentium medelæ præpositis Medicis aliquod emolumentum afferet. En ergo, benevole lector, quo tendant labores, et studia mea, nimirum ut ægris prosim lectionis, meditationis, et experientiæ meæ fructu commilitonibus ultro oblato.

Mor-

1 Morbi adsunt adeo inter se oppositi, ut eodem simul in subjecto existere nequeant, et alter alterius sit veluti remedium. Hæmorragia, et plethora hujus sunt speciei. Aliæ existunt omnino inter se inconnexæ ægritudines, quæ simul in eodem ægrotante reperiuntur; quin una in alteram influat. Podagra, et scabies ad hanc classem spectant. Morbi tandem sunt, qui et in causis, et in symptomatibus sat similes videntur, eosdem fere effectus in ægrorum corporibus producunt, et eorum alter in alterum convertitur facilé. Tertiana, Quartana, imo et remittentes febres tales censentur, unde morbi analogi judicantur. Num igitur talis aliquas inter febres, et scorbutum existat analogia, postulat Regia Parisiensis Medicinæ Societas sequenti programmate.

2 ,, Y a-t-il quelque analogie entre le scorbut, et ,, les fievres de prison de PRINGLE, les lentes nerveuses d' HUXAM, ou celles des vaisseaux decrites par ,, d' autres auteurs; et de quelle utilité cette recherche ,, peut elle etre pour le traitement de ces differentes ,, especes de maladies".

3 Typhus inter deleteria carcerum, nosocomiorum, aut navium miasmata subortus, aut contagio natus, febris illorum locorum á PRINGLE, aliisque salutatur.

Ty-

4 Typhum nervos offendentem, atque cacochimos, captivos, evacuationibus exhaustos, vel vigiliis diu afflictos invadentem, febrem lentam nervosam appellat HUXAM.

5 Non multum immorabor in demonstrando typhos prædictos ejusdem esse morbi varietates, et essentialiter inter se non diferre. Etenim præterquam quod SIMS perfecte tractavit hoc argumentum (*a*); ipse HUXAM, qui de discrimine, inter hujusmodi febres apponendo, peculiari capite egit, nihilominus fassus est; causas ipsas, quæ in sanis, et robustis subjectis febrim producunt carcerum, aut nosocomiorum, in cachochimicis, debilibus, et exhaustis typhum procreare lentum nervosum (*b*). BURSERIUS, ut alios sileam, in suis Medicinæ institutionibus ad eandem classem refert prædictos typhos (*c*).

6 Scorbutum eum appello morbum, qui ex maculis tibiarum lividis, flavis, orisque cruentatione, tumore, fætore præcipué cognoscitur.

7 Actum agerem, si post LIND, aliorumque scripta demonstrare vellem scorbutum omnem putridum esse, seu commentitiam ejus divisionem in acidum, et alcalinum, in terrestrem, et maritimum, quam non infimæ notæ auctores stabilierunt. Quod si quis super hæc difficultates adhuc faceret, ut breviter expediar á futilibus quœstionibus, dicam, de scorbuto putrido loqui Societatis Parisiensis programma, dum ejus, et prædictarum febrium analogiam inquirit. Huic investigandæ prima Dissertationis pars dicabitur, in altera de secunda programmatis quœstione sermo erit, ideoque sit.

PARS

(a) MALAD. *epidemiqu. Chap. 6. trad. françoise.*
(b) *Videant. lib. 6. et 8. de febrib. pag. 63.*
(c) JOURN. *de med. de Par. tom. 71. pag. 138.*

PARS PRIMA.

Y a-t-il quelque analogie entre le scorbut, et les fievres de prison de Pringle *&c.*

8 Certo memorati typhi, et scorbutus ex classe non sunt earum ægritudinum, quæ invicem curantur; et eodem simul in subjecto non reperiuntur.

9 Profecto Huxam et scorbuto, et navium typho simul afflictos vidit aliquos in diversis navibus britannicis annis 1741, et 1745. Etenim de putridis, malignisque loquens febribus, quæ tunc nautas anglos, milites, et captivos ad portum Plimouth appellentes excruciarunt, ait: „Atque febris hæc maligna probabiliter á pessimo corporis habitu scorbutico, vitæ ratione, carcere, cæterisque, quibus ista hominum turba subjecta erat, dependebat (*d*)". Laudatus auctor agens de peripneumonia maligna, vel melius, ut ipse loquitur, de putridis, malignisque, cum peripneumoniacis symptomatibus sociatis febribus, quas anno 1746 Plimouth viderat, dicit: „tales malignæ peripneumoniæ sæpissimé profecto nautis post longa maris itinera, et hominibus insigni scorbuto affectis contingunt (*e*)".

10 „Anno 1781 vehementer sæviebat scorbutus in nostris navibus, asserit D. Doublet, et ab ipsa causa, á qua is producebatur, putridæ pessimæ indolis febres simul excitabantur (*f*)".

11 Præclarus Lind inquit; „Ex diversis febrium speciebus, quæ scorbuto jungi possunt, omnium pessima, et fortasse plus quam pestis ipsa, est profecto petechialis, aut carceraria. Hæc quandoque generatur in

(d) *Dissertat. de variol. pag. 88. edit venet secund.*
(e) *Dissertat de pleurit. et peripneumon. c. 2. pag. 124.*
(f) Journ. *de medecin. de Par. tom. 62. pag. 236.*

in navibus, quibus includuntur plurimi ægrotantes, vel quia per contagium producitur, vel quia scorbutici diutius in aere putrido incarcerati fuere". Prædictæ complicationis tanquam ocularem testem Murray citat (g).

12 Dominus Goguelin, qui ut autopta loquitur, testatur „ putridam, malignam, petechialemque febrem aliquoties scorbuticos invadere, et eo periculosiorem esse, quo plus confirmatus scorbutus reperitur (h).

13 Dominus Lucadou funestum scorbuti influxum in gallicarum navium febribus, tempore belli anni 1779 observatis, vidit. Quæ enim illius initio benignæ fuere febres, in fine cito malignæ, et perniciosę ob scorbuticam humorum dissolutionem fiebant (i).

14 Præterea Huxam suprá laudatus ait: „Terribilis jam sævit scorbutus inter nautas, præcipue quos secum adduxit Martin, classis occidentalis Præfectus ....Non solum miseris his, at vere utilibus, per se infensa est maxime *scorbutica* lues, sed et illos etiam omni pene morbo, qui ab humorum corruptione pendet, obnoxios admodum reddit, febribus nempe putridis, malignis, petechialibus (k)". Idem auctor morbillorum describit epidemiam malignæ conjunctam febri tunc Plimouth epidemicæ, in cujus fine ulcera oris molesta, et gangrenosa videbantur (l): Watson testatur se hoc ipsum sæpe vidisse Londini annis 1763, et 1768 (m). Aliam similem D. Baumes ob-

ser-

(g) *Traite du scorbut. tom.* 1. *pag.* 214.

(h) *Memoir. de la Societe de Medec. de Par. ann.* 1780. *et* 1781. *pag.* 183.

(i) Malad. *de Rochefort pag.* 264. *et* 301.

(k) *Observat. de aer. et morb. epidem. ann.* 1746. *mens. jul. pag.* 137.

(l) *Ibid. pag.* 117.

(m) Journ. *de Medec. de Par. tom.* 37. *pag.* 117.

servavit morbillosam epidemiam, quam describens inquit. „ In duobus ægrotantibus morbus in oris scorbutum degeneravit, á quo et dentes carie fædati, et mandibulæ pars magna cecidere (*n*) " Diarii Parisiensis editor de phtisi scorbuticâ loquens ait: Carcerarios, aut nosocomicos post typhos incompleté, ut solet, judicatos, freqüenter quædam supra viscera, pulmones præcipue, accidit metastasis. Hæc ab inerti provenit materia cellularem pulmonum textum infarciente, quam omnium optime succi attenuant antiscorbutici, circulationem promoventes, fibrarum elaterem augentes, et vitalem restituentes nostris humoribus partem, á qua spoliati erant (*o*). En ergo scorbutum post typhum, et huic obnoxios redditos scorbuticos.

15 Jam vero testante Lind utile est, scorbuticos morbis affici scorbuticæ labi adversis, hi enim ipsis instar remedii sunt (*p*); cum autem typhus scorbuticis familiarior sit, idemque morbillis conjunctus dispositionem ad scorbutum non emendaverit, signum est ægritudines has ad invicem contrarias haud reputandas esse.

16 Ex iisdem facile demonstrari posset prædictas ægritudines morbos non esse inter se inconnexos; cum earum altera in alteram influat. Verum enim vero ¿sunt morbi affines, congeneres, seu analogi? Hæc est strictissimo sensu accepta Regiæ Parisiensis Medicinæ Societatis quœstio, cujus discussionem aggredior.

17 Quicumque attentâ mente legat D. Pringle, et Huxam super nosocomiorum typhis, et febribus lentis nervosis scripta: quicumque serio meditetur Van Swietenii Commentaria in aphorismos Boerhave de

(n) *Ibid. tom.* 55. *pag.* 128. *et* 135.
(o) *Ibid. tom.* 75. *pag.* 42.
(p) *Lib. citat. pag.* 208.

scorbuto, et prætiosum D. Lind de hoc morbo tractatum, perspiciet. 1.° carceres, nosocomia, naves, loca immunda, clausa, angusta, et paludosa scorbuti, illarumque febrium communem esse patriam. 2.° scorbutum rapidos sub zona torrida, et temporibus calidis, humidisque facere progressus; æstate etiam nosocomicas febres caput erigere, et propagari solere; atque ubi frigidus humidusque ad illum morbum producendum præcipue contribuit aër, hanc tempestatem et febribus lentis nervosis favére, et catharrales malignas ejusdem cum eis speciei procreare (*). 3.° lassitudinem spontaneam, gravitatem, debilitatem, nullum á somno solatium, aliaque quamplurima, quæ reperiuntur in præludiis, et primis prędictarum febrium temporibus, observari etiam in scorbuti principio 4.° pulsum parvum, debilem, et inæqualem, hoc morbo laborantibus familiarissimum, reperiri pariter in carcerum, navium, vel nosocomiorum typhis, saltem quotiescumque ob copiosiores sanguinis evacuationes, novas putredo adquirit vires, et febres lentas nervosas concomitare. 5.° vivices, maculasque rubras, lividas, vel nigras, debilitatem, obscurum, et plumbeum faciei colorem, halitus fætorem, dolores varios, et vagos, hæmorragias, tremores, et convul-

(*) *Quæ de aëris frigidi, et humidi, aut calidi, et humidi in scorbutum producendum influxu apud auctores agitantur lites, agmen ducentibus* Lind, *et* Pringle, *componere ausus est* D. Gardane, *qui pollicetur se ostensurum in suis de scorbuto Dissertationibus, morbum istum dumtaxat á depravato aëre provenire, ita ut reliquæ, quæ illius ægritudinis signantur causæ veluti accesoriæ dumtaxat reputandæ sint (Memoir sur le colique &c. insere dans la Biblioteque phisico economique second. ann. pag.* 224).

vulsiones (*), quæ confirmato superveniunt scorbuto, prædictis in febribus observari.

18 Aliunde supradictorum morborum initio sanguis venæ sectione eductus coagulum efformat molle, facile solubile, cum crusta variegata, in sero subcroceo innatante; vix enim ante ultimam earum ægritudinum periodum sanguis perfecté dissolutus reperiri solet, nisi in illis jam ab initio putredo extrema fuerit; tunc namque statim dissolutio universalis accidit (*q*). Idcirco D. Huxam in libro de febribus similiter affectum esse sanguinem scorbuticorum, ac febre valde malignâ laborantium statuit (*r*). Asserit Lind, D. Huxam laudato capite optimé constitutionis scorbuticæ naturam edoceri (*s*). Pariter D. Graigner, quando scorbutum depingit, quem in Arce Guillermo dicta observavit, inquit: ,, quotiescumque hoc morbo ægrotantium sanguis quiescit, nedum à serosa pars sanguinis rubra non separatur, sed et summe similis illi est, qui in malignis febribus educitur; nempe dissolutus, et purpureus, seu lividus (*t*). Sed supervacaneum est diutius in hoc immorari, etenim in Programmate de sanguinis alteratione, á Regia Societate proposito, extra omnem dubii aleam constituetur in nosocomiorum febribus, et scorbuto eodem fere modo sanguinem vitiari.

19 Si nuper dictis (num. 17 et 18) ea addo, quæ

(*) *Etiamsi de hoc symptomate apud* Lind *altum habeatur silentium, nihilominus in scorbuticis illum vidit* Goguelin (*Mômoirs de la Societ. Royal de Medecin. de Par. ann.* 1780 *et* 1781 *pag.* 182).

(q) *Videatur* Rouppe *de morbis navigant. lib. unic. cap. de scorbut.*

(r) *Cap.* 5. *de sang. putrid. stat.*

(s) *Traité cit. tom.* 1. *pag.* 226.

(t) *Ibid. pag.* 369.

de scorbuti, et typhorum, circa quos versatur quœstio, conjunctione, et transmutatione (num. 9 ad 14) adduxi, maxime probabilis evadet conjectura de analogia, seu affinitate inter prædictos morbos. Sed fatendum rem leviter attendenti vix comprehensibile esse ab eadem causa, à qua scorbutus, diuturnus adeo morbus, oritur, acutissimas febres carcerum, et nosocomiorum etiam procreari. Cæterum hęc objectio nullius momenti erit illi, qui meminerit scorbutum aliquoties morbum acutum esse, testantibus primi subsellii Medicis.

20 Profecto hæc Regia Societas opinionem de scorbuti acuti existentia haud improbabilem judicavit, quando in publico suo Augusti mensis anni 1781 Cœtu Medicos invitavit, ut ulteriores de hac quœstione investigationes, et illustrationes ipsi missas facerent (*x*).

21 Probe scio Lind, cujus opinio de scorbuto omni veneratione digna est, sentire, fere de istius morbi essentia esse diuturnitatem, seu omnem scorbutum ad morborum chronicorum classem spectare (*y*); quapropter á regularibus ejus symptomatibus et excludit febrem, et istius existentiam á scorbutica causa dependentem, maxime dubiam reddit. Verumtamen memini ipsummet auctorem alibi testari: D. Ives vidisse scorbutum febrilibus symptomatibus stipatum, et tertii scorbuti gradus symptomata referentem ita loqui: „In hac periodo quandoque, raro tamen, observantur putridæ febres, colliquantes, cum petechiis fere semper, sudoribus fœtidis, aliisque hujus generis symptomatibus (*a*)". ¿Si itaque scorbuti causa quandoque temporis lapsu et vim, et malignitatem adquirit, quæ ad putridas, colliquativas memoratas febres gignen-

(x) Journ. *de Medic. de Paris tom.* 60. *pag.* 361.
(y) *Op. citat. tom.* 1, *pag.* 211.
(a) *Ibid. pag.* 224.

nendas requiritur, cur brevi non potest? Num variis de causis non valet ita venefica reddi, ut citó eadem producat symptomata, quæ communiter post diuturnas dumtaxat ærumnas apparere solent? Audiamus D. Colombier, qui postquam descripsit lentos gressus, quibus scorbutus sua stadia percurrit, ita loquitur". Nihilominus advertendum est: gravia sæpe ita celeriter apparere scorbuti symptomata, ut tres ipsius periodi vix distingui valeant; sic accidit in maris scorbuto, qui quandoque duodecim, aut quindecim diebus ægrotantes ad extremum vitę periculum ducit (*b*)". Ita sane observatum fuit á D. Planchon in duobus ante bene valentibus pueris, in quibus sanguis subito dissolutus ex ore, naribus, auribus aliisque continuo fluebat partibus. A capite ad calcem petechiis depictum apparuit corpus, pulsus debilis, exilis, aliaque scorbuti symptomata observabantur. Primus, qui remedia respuebat, brevi vitam cum morte commutavit. Secundus remediis scorbuto adversis convaluit (*c*). Pueros, cæteroquin sanos, repente petechiis toto corpore citra febrem obtectos, et levi gingivarum læsione affectos non semel et vidi, et remediis antiscorbuticis curavi.

22 Pręterquam quod scorbutum testudineis non semper gressibus incedere, sed celeriter progredi constat ex observationibus Facultatis Parisiensis in *Prima mensis* Februarii 1778 relatis (*d*). De scorbuto acuto ex professo tractavit D. Christ. Ludovic. Hoffman in suo opere de hoc morbo, et de lue venerea anno 1782 edito. Sane ejus existentiam confirmat oris infantum gangrena celeriter pergens, de qua Van-

Swie-

(b) *Medic. milit. tom. 5. pag. 169.*
(c) Journ. *de medic. de Par. tom. 32. pag. 512.*
(d) Journ. *de medic. de Par. tom. 49. pag. 267.*

SWIETENIUS loquitur (*e*), et quę in Memoriis Chirurgicę Academię Parisiensis á D. CAPDEVILLE describitur (*f*). Profecto schirri in cancrum degeneratio, quę ut plurimum lenta, et diuturna est, nonne quandoque brevi accidit? ¿Atrabilis licet communiter sensim, et paulatim in corpore aggeratur, et caustica reddatur, nonne id interdum brevi exequitur? ¿Quare itaque similis materiei scorbuticæ deneganda vis, aliunde jam practicis observationibus confirmata?

23 Neque negligenda partium diversitas, quas primo offendit scorbuticum acre; modus pariter, quo ipsas offendere solet, attendendus; ex his namque et facile intelligi poterit, quare illud acre quandoque morbum producat acutum, quandoque chronicum; et analogia inter scorbutum, et typhos ulterius comprobari. Equidem quę diuturnos dolores excitat rheumatica, aut podagrica materia articulos, aut musculos invadens; eadem pulmones, stomachum, aut alia viscera offendens, acutissimum procreat morbum. Ad rem inquit STOLL RAT. med. tom. 1. part. 55. „Eadem materies rheumatica palpebras, partesque oculo proximas, ipsumque oculum obsidens ophtalmiam serosam aliquoties fecit. Ex eadem origine fuere corizę, hemicranię rheumaticæ, otalgię, odontalgię, genarum tumores, anginę, bronchi sive raucedines, et defluxiones ad pectus, quas catarrhos appellant". Magnus BOERHAAVE quasdam assignat causas communes morborum chronicorum, et acutorum, ut videri potest in suis aphorismis de cognoscendis, et curandis morbis (*g*). Utut acutissimus morbus sit gangrena interna, nihilominus quandoque ipsi assuefit homo, ut ita dicam,

(e) *Videant. commentar. in aph. 423. et 432. tom. 1. pag. 688. et 705. edit. Parisiens.*

(f) *Tom. 5. pag. 396.*

(g) *Aph. de cognosc. morb. 586. et 1051.*

cam, atque diu cum ipsa vivit (*h*). Ad rem loquitur eques Pringle: ,, Si acrimonia, inquit, ingens est, et repente nervos offendit, sequitur febris cum symptomatibus putridis, vomitibus, diarrhœa; verum si ita lenté coacervatur, ut nervi putredini sensim familiares fiant, resultat scorbutus (*i*) ". Ejusdem videtur esse sententię Colombier, qui postquam scorbuti, putridarumque febrium causas easdem esse dixit, de progressuum putrefactionis, et septici fermentí virium diversitate in prędictis morbis loquens, inquit: ,, Fortasse discrimen inde oritur; quod fermentum putridum, cum debile est, scorbutum producit, et quando acrius putridam febrem excitat? ¿ Laudata differentia est forsan repetenda ex varia corporum dispositione, quam prędictum fementum offendit? Quidquid sit, hoc certum est, ultimum scorbuti gradum sępissimé stipari omnibus symptomatibus, quæ in putridis febribus apparent, et in istis pariter ad ultimum gradum evectis petechias reperiri (*k*).

24 Aurei D. Lind de scorbuto Tractatus Traductor gallicus D. Pringle hac in re confirmat sententiam, dum dicit: ,, Frigido, humidoque ab aëre, et á vegetabilium abstinentia scorbutus, ut plurimum, provenit. Neminem fugit frigus aliquantisper mucosam sanguinis partem inspissare solere: ideoque putrefactio erit lenta et *vappida*, si ita loqui licet. Hinc corpus sensim huic degenerationi accommodabitur, et cum partes septicæ non ita energicæ sint, ac malignis in febribus, nervos non ita fortiter offendent. Contra vero deleteriæ febres calido humidoque ab aëre regulariter proveniunt. Versus

---

(h) Journ. *citat. tom.* 65. *pag.* 441.

(i) *Trat. de las enferm. de los exerc. tom.* 2. *pag.* 346. Utor *versione hispanica omnium locupletissima.*

(k) *Medicin. Militaire tom.* 5. *chap.* 4. *du scorbut. pag.* 177.

sus æstatis finem, et autumni initium præcipué vigent: ad corruptionem humores, antecedenti calore, dispositi sunt. Si tunc ob frigus, vel ob indigestionem transpiratio supprimitur, quæ per illam septicæ evacuandæ erant particulæ, in sanguine detinentur, ipsiusque corruptionem promovent, quemadmodum fermentum in suam naturam convertit substantias fermentationi obnoxias. Corruptio hæc subitanea est, et ad extremum devenit citó, quia humores ad illam prædisposití sunt: ideoque nil mirum si symptomata ab illis diversa producit, quæ ab scorbutica acrimonia enascuntur (*l*)". Milman etsi particularem de scorbuto conceperit ideam, et omnia illius symptomata à vitiato solidorum statu oriri credat, nullumque in liquidis sub eo morbo admittat vitium, nihilominus illius putridis cum febribus affinitatem non solum quo ad symptomata admittit, verum et hæc ab eodem corporis statu in utroque morbo repetit. Quod autem functiones animales communiter lædantur in febribus putridis, et integræ maneant in scorbuto, inde explicat, quod in illis fluidorum motus repenté turbatur, priusquam cerebri vasa huic acomodari possint alterationi, contra vero accidit in scorbuto, qui lenté progreditur (*m*)".

25 Ex dictis (num. 22 ad 24) facile intelligi poterit quare delirium, convulsiones, et alia symptomata typhis communia, raro adveniant in scorbuto, etsi analogus illis sit; cæterum non ita facile explicatur, quare gingivæ, quæ regulariter in scorbuto lęsæ apparent, sanæ conserventur in febribus malignis, si inter hos morbos analogia detur. At vero difficultatem tollit, quod partium diversarum læsio neque analogiam, neque idemtitatem morborum saltem quoad causas destruit. Profecto gonorr-

(l) *Trait. du scorbut tom.* 1. *pag.* 383.

(m) Recherch. *sur le scorb. et les fievr. putrid. chap. X. pag.* 134.

norrhœa, bubones, pustulæ, dolores universales afficiunt diversas partes, suntque symptomata inter se toto cælo distantia, et nihilominus ab una eademque venerea lue nascuntur. ¿ Si certó non constaret illa omnia esse impuri comercii fructus, nonne dubitandi ratio daretur, num tam diversa mala ab eadem causa penderent? Num potest facilius explicari, cur sub primis venereæ luis temporibus non apparuerit gonorrhœa (*n*), quæ nunc freqüentissima est? Sed melius est responsum dare, gingivarum læsionem non esse symptoma scorbuti ita constans, seu perpetuum, ut aliquoties non deficiat in hujusmodi morbo affectis. Testem non adducam Eugalenum, qui absolute asserit, quandoque ægros prius interimi scorbuto, quam gingivæ læsæ appareant, et alia videantur symptomata pro caracteristicis illius mali habita (*o*). Recte arbitror judicasse Lind, dum asserit præfatum auctorem scorbutum cum aliis confundisse morbis ab eo summe diversis, ideoque ejus super hoc asserta nullius momenti censenda (*p*). Dicam vero ipsum Lind, qui caracteristicum scorbuti signum gingivarum corruptionem credidit (*q*); nihilominus scripsisse seqüentia: „ Ordo, quo scorbuti symptomata apparent, variat aliquoties; quando enim aliquis à febre, vel ab alio morbo diuturno prægresso debilis redditus est, gingivæ primo videntur læsæ, et lassitudo constanter primam ægritudinis periodum comitatur; cæterum si ab exercitio æger ob fracturam, contusionem, aut vulnus inflictum privatus fuerit, prima scorbuti signa in partibus affectis, vel debilitatis inveniuntur". Hoc confirmat exemplo hominis, qui in navi, Draco

 dic-

(n) VanSwiet. *comment. in aph. tom.* 5. *pag.* 380. *aph.* 1447

(o) *Tractat. de scorbut. pag.* 10. *et* 211.

(p) *Traite sur le Scorbut. tom.* 1. *pag.* 15. *et sequ.*

(q) *Ibid. pag.* 80. *et* 227.

dicta, horrendo laboravit scorbuto, cujus prima signa in vulnerato humero detecta fuere (*r*). Aliunde in Diariis Medicinæ Parisiensibus casus legitur Sacerdotis scorbuto jam diu laborantis, antequam gingivarum corruptio advenerit (*s*).

26 Si igitur acrimonia scorbuti funestas producit aliquando strages, priusquam vitium in gingivis, aut cruribus detegatur, harum partium integritas in variis typhis observata, nil demet affinitati quæsitę. Hęc ulterius confirmaretur, si ęgritudines hę simili curarentur methodo. Sed hęc inquisitio ad secundam programmatis partem examinandam manu ducit, ideoque sit.

PARS SECUNDA.

De quelle utilité cette recherche peut elle etre pour le traitement de ces differentes especes de maladies.

27 Quę ex nuper probata (*Part.* 1) typhorum cum scorbuto analogiâ deducitur utilitas, ea, ni fallor, est, quod inde, religiosius illa prędictis applicabuntur febribus remedia, quę jam à primi subsellii auctoribus proficua in ipsis creduntur; et alia tentabuntur, quibus fortasse eorum curatïo et tutius, et brevius consequetur: sed ut hęc clarius elucescant à remotiori origine rem ordiri oportebit.

28 Sciendum itaque est carcerum, nosocomiorum, et nervosos typhos putridarum de genere febrium esse: obsolevit erronea illorum opinio, quę malignitatem in morbis à phlogistica sanguinis stasi in cerebro deducebat. Jam vero inter omnes putridas febres quędam adest af-

(r) *Trait. du scorb. tom.* 1. *pag.* 203.

(s) Journ. *de Medec. de Par. tom.* 10. *pag.* 220. *Videatur etiam tom.* 75. *pag.* 23.

affinitas, ut pro ipsarum curatione aliquę statui possint regulę universales. De prognosi febrium nosocomicarum, carceris, vel navium loquens Pringle recte dixit: ,, Neque mirandum prçcipua ex his vaticinia reliquis in finem properantibus febribus esse communia, si attendatur, quod quęcumque sit causa febrim producens, si hęc diutius perdurat, humores corrumpit, et cerebrum, nervosque lędit eodem fere modo, ac illę, quę ab infectione proveniunt (*t*)". Et prçclarus Mertens inquit: ,, eadem medendi methodus omnibus febribus hujus generis (loquitur de putridis) in secunda, et tertia morbi periodo convenit, in quibus omnes earum species similes evadunt, etsi differant sępe quibusdam syptomatibus in unoquoque ęgrotante diversis, et pro varia invadendi ratione, unde diversa nomina accipiunt (*x*)". Aliunde exactissima vitę humanę putrefactionis historia à D. Pereira descripta, in suo de febribus tractatu (*y*) nos edocet, corruptionem sanissimis in hominibus existentem gradu dumtaxat ab illa differre, quę in ipsis febricitantibus reperitur. Aperte dicit etiam laudatus auctor putridam nosocomicarum febrium, ipsiusque pestis acrimoniam non distingui ab ea, quę reliquis in febribus adest, nisi quia illa magis extricata, perceptibilis, et efficatior est; quemadmodum etiam regularium febrium putredo pariter intensior, et magis completa est sanorum hominum putrefactione. Quę igitur de putridis febribus curandis in genere dicentur, facile typhis, de quibus hic est quœstio, applicabuntur.

29 *Vires*, itaque, *conservare*, *putridam acrimoniam* pro-

(t) *Observ. sobr. las enfermed. de los exercit. tom.* 2. *pag.* 189.

(x) *Observat. medic. de febrib. putrid. et de pest. Part.* 1. *cap.* 1. *pag.* 50.

(y) *Op. citat.* §. 3. *pag.* 22.

profligare, illiusque impedire regenerationem, sunt indicationes generales in omnibus putridis febribus adimplendę. His additur sępissime altera, videlicet sedandi irritationem, quam prędicta acrimonia suscitavit. Dum contemplor remedia, quę ad prędictos scopos in febribus putridis usitata sunt, suspicor, multarum, typhorum præcipué, et augmentum, et durationem magna ex parte pendere, ex inutilium, aut noxiorum medicaminum prescriptione, ex modica proficuorum dosi, et ex neglectu aliorum, quę probata scorbuti cum typhis analogia suadet.

30 Indicatio vires sustinendi, omnibus morbis communis, specialiter in putridis febribus est attendenda; robur namque vitale maximus putrefactionis est adversarius; illa etenim raro in vivente ita perfecta, et absoluta reperitur, ac in cadavere (z). Virium destructio precipuus est corruptionis effectus. Putridi, qui corrupto ex cane emanant halitus, dum tumidus ipsius rumpitur venter, herculeum repente hominem exanimem, omnibusque fractum viribus prosternunt, et pestis, prima putridas inter febres, vires subito confringit, et extemplo homines aliquoties occidit, ut asserit SYDENHAM (*a*).

31 Ad vires reficiendas opus est corpori ea, quę amisit suppeditare; cęterum ¿ utile erit id efficere jusculis, ad putrefactionem ita proclivibus, ut sępe post quatuor horas, à quo hausta sunt, evaserint ita corrupta, ut venenum potius, quam alimentum sint reputanda? Nostra carnibus vescendi consuetudo, earum juscula in febrium declinatione, vel remissione, quando naturę vires incipiunt superiores fieri morbo, utilia reddere poterit, cęterum numquam initio, pręcipue in typhis, cum primarum viarum infarctu, aut bilis

---

(z) *Ibid. pag.* 15.
(a) *Sect.* 2. *cap.* 2. *pag.* 133.

lis putrefactione complicatis, ut frequenter in eis accidit (*b*). Tunc temporis panis decoctum pręstantius est carnium jusculo, aut istud utilíbus alterandum erit vegetabilibus. Super his videantur DD. Tissot (*c*), Pereira (*d*), et Grant (*e*). Illi ostendunt, quantum retardare possunt putridarum febrium curationem confecta ex carnibus juscula; modum ipsis utiliter utendi in earum declinatione docet iste. Ego vero his addam carnes, etsi recentes, scorbutum non pręcavere, et nautas, qui illis vescentes, scorbutici facti sunt, vel vegetabilibus solis, vel ipsis, additis carnibus, brevi curari testante D. Lind (*f*).

32 Quamvis putrida acrimonia vires communiter prosternat; nihilominus tantum abest, ut semper id efficiat, quin potius suâ irritatione eas aliquod per tempus augeat. Si remedia cognoscerentur ad putrefactionem extemplo profligandam eisdem sedaretur ab illa productus stimulus; cæterum dum hæc specifica desiderantur, curatio eodem modo erit instituenda in febribus putridis, ac in lue venerea, variolis, et morbillis, in quibus subito irritationem placare conamur, quotiescumque hæc periculum celerius portendit, quam ipsemet morbus. Ejusmodi symptomatica indicatio numquam, vel fere numquam in lentis nervosisque D. Huxam febribus occurrit; occurrit tamen sæpe in carcerum, vel nosocomiorum typhis; quamobrem D. Pringle eorum initio semel venam aliquibus subjectis secare suadet. Profecto quotiescumque febris vehemens juvenem robustum, plethoricum, et ante mor-

(b) *Dissertat. contr. l' vsag. des bouillons par Mr de* Luadun *pag.* 158.

(c) Avis *au peuple chap. 2. §. 19. et seq.*

(d) *Tract. cit. pag. 72. et 73. §. 7.*

(e) Recherch. *sur les fievr. tom. 1. pag. 279. et sequ.*

(f) *Tom. 1. pag. 290.*

morbum bene valentem invadit, à miasmatibus putridis, contagiosisque nata irritatio sanguinis missione sedatur. Cæterum etsi modicam sanguinis detractionem optime ferant ejusmodi ægri, liberaliorem tamen summe nocere inconcussum est, ipsis advertentibus Huxam, et Pringle (g). Huic opinioni de moderando venæ sectionis usu in prædictis febribus, et in aliis putridis novum momentum addit statuta earum cum scorbuto analogia; isto namque laborantes solummodo exiguam ferunt cruoris eductionem. Veruntamen si, quemadmodum in prædictis typhis, dumtaxat initio, et modicé sanguis est mittendus, pariter intolerabiles scorbuticorum dolores, et summe inflammata eorum ulcera, exiguam tantum postulant cruoris detractionem, quæ numquam in scorbuto inveterato utilis est. ¿ Nonne ex hac parte horum malorum ulterius demonstratur affinitas?

33 Eadem, ac venæ sectiones, pariunt mala emollientia remedia, plus æquo ab aliquibus, prædictis in febribus ad irritationem sedandam præscripta. In morbis phlogisticis, in quibus solida nimis tensa sunt, et liquida inspissata, utilia judicantur emollientia, in putridis autem, in quibus illa vel nimis laxa, vel ad laxitatem prona, et hæc dissoluta reperiuntur, nullum ab emollientibus spectandum emolumentum. Putrefactione dissolvuntur, disjunguntur, et destruuntur partes, ideoque frustra usurpantur medicamina ad laxandum, et emolliendum proficua. Repetitis vicibus sanas carnes injeci emollientibus decoctis, et citius corruptas inveni, quam illas, quas in aëre suspensas reliqui. Neque prædictis decoctis putrefactionem sanguinis, seri, bilis, et carnium corruptorum emendare potui. Inutile esset hæc, et alia, de quibus mentionem hac

(g) *De febrib. cap. 7. pag. 55. tom. 2. cap. 10. §. 5. pag. 186.*

hac in Dissertatione faciam, experimenta minutim explicare; summam dare sufficiet. Advertam tantummodo ut DD. Pringle, et Collin in eis instituendis me prosecutum fuisse, eo discrimine solum, quod vasa igni non admoverim, sed in atmosphæræ calore reliquerim.

34 Fibras, et vasa laxant emulsiones, ob oleosam seminum partem, et hac forte de causa virtutem ad cohibendam, vel ad corrigendam sanæ, vel putridæ carnis, illis injectæ putrefactionem in eis non reperii. Utilissimæ igitur sunt emulsiones in morbis inflammatoriis, neutiquam vero in putridis. Eandem ob rationem neque in his conveniet oleosis irritationem paccare; præterquam quod horum usus ea omnia potest producere damna, quæ VanSwietenius (*h*), Tissot (*i*), Pereira (*k*), et alii juremerito verentur. Verum est in oleo sepultas, diutissime incorruptas servari carnes, cæterum neminem fugit, id ex eo pendere, quod oleum ab aëris contactu, sine quo tarda est corruptio, eas defendit. Ipsæ ab oleo amotæ carnes brevi corrumpuntur, quia mollities ibi adquisita corruptioni favet.

35 Neque putrefactionem coercet, neque emendat aqua, vel sola, vel modica nitri quantitate alterata. Repetitis compertum habeo experimentis citius corrumpi carnem injectam aquæ simplici, vel pauco nitro alteratæ, quam in aëre suspensam (*). Illius fætor, atque laxitas, hac methodo non corrigitur. Hisce tentaminibus optime quadrat, quod observatum fuit in

---

(h) *Comment. in aph. 722. tom. 2. pag. 352.*

(i) *De febribus biliosis pag. 38.*

(k) *Tract. citat. pag. 75. num. 202.*

(*) *Vim antisepticam in nitro invenit* D. Pringle, *verum 60 grana in duabus aquæ unciis ponebat, et in febricitantium potu gr. unum, vel duo pro singulis unciis immîtitur: altiori dosi noceret ex alio capite.*

in epidemia Bourbon-Lanci, in Diario medico Parisiensi descripta (*l*). Recté itaque advertit D. Pereira, putridas adesse febres, in quibus putrefactionem extollit aqua, er in quibus eam prudenter prohibebant antiqui (*m*). Optima super his in prædictæ epidemiæ descriptione leguntur præcepta. Aqua igitur vel sola, vel pauco cum nitro non est præstantior potus, qui in laudatis casibus concedi possit, præsertim in carcerum, navium, vel nervosis febribus. Non inficior pejus esse in his ab omni potu abstinere, quam aquam puram, vel nitro imprægnatam bibere, hæc namque et ardorem temperat, et diluit, et salium putridarum separationem faciliorem reddit; cæterum adsunt potus, qui ultra has propietates antiputridâ, hic necessaria, gaudent, et cum aliunde irritationem sedare valeant, illis præferri debent, qui corruptioni favent. Profecto quicumque analogiam inter prædictos typhos, et scorbutum suspicatus fuerit, simulque noverit putrida scorbuticorum oris ulcera emollientibus non corrigi, sed augeri; atque exsiccata farinacea semina adversus scorbutum nil prodesse (*n*); neque in nautis aquæ potu hoc malum præcaveri; aliam adinveniet rationem diffidendi horum medicaminum auxilio in putridis febribus, ad acrimoniæ septicæ destructionem, vel correctionem, quæ ante oculos continuó est habenda. Hinc pariter nova inter prædictos morbos affinitatis exsurgit ratio. Sed ab incepta non deflectamus via.

36 Porro hæc putridum destruendi fermentum indicatio duobus adimpleri potest modis, vel ipsum extra corpus ablegando, vel eum corrigendo. Primus, quo-

(l) Journ. *de Med. tom.* 3. *pag.* 134.

(m) *Op. citat. pag.* 232. *num.* 514.

(n) *Memoir. de la Societ. Roy de Medec. de Par. ann.* 1780 *et* 1781. *pag.* 170.

(o) Grant. Recherch. *sur les fievr. tom.* 3. *pag.* 47.

quotiescumque consequi potest, præferendus. Consequitur equidem in febribus gastricis, vel á saburra, remediis alvum, et intestina expurgantibus. Obtinetur quandoque in nosocomicis, carcerariis, et navium febribus, imo et in pestilentialibus, sudorificis remediis ab initio doctâ manu præscriptis (*o*). Verum enim vero neutrâ dictarum consequitur methodo, quoties putridum, infectumque miasma altius in corpore radices infixerit, et vasculosum, ut ita dicam, sistema, seu humores in vasis contentos inquinaverit. Certó copioso alvi fluxu, quantumvis ab initio excitato, nedum humorum tenuium, seu crudorum, sed et crassorum, viscidorumque, quos coctos appellant, in pejus ruere sæpissime febrim, et ad superos migrare ægrotantes videmus. Nimis freqüenter accidit etiam, febrim, quæ ad septimum, vel octavum usque diem nullo sese ostenderit pravo signo, fere repente suam patefacere perniciem, pessimæ indolis, funestaque apparere febrium nosocomicarum symptomata, et ægrum é medio tolli, etiamsi ab initio evacuationes neglectæ haud fuerint. Ergo extra dubium est emeticis, et purgantibus neque destructam, neque imminutam tunc fuisse morbi causam, quam in genere septicam acrimoniam voco.

37 Non inficias ibo interdum his remediis evacuantibus opus esse, ut fermentum putridum ad primas vias trahatur, et ab his foras extemplo ejiciatur, vel ad ipsum amovendum á principaliori aliquo viscere, in quo decumbens vitæ plurimúm minatur. Sic evenit in quibusdam febribus putridis, pleuriticis, vel peripneumoniacis symptomatibus stipatis, in quibus evacuantia, et signanter emetica præstantissima sunt, et promptiora remedia, ut in plurimis epidemiis observatum est, et accidit quandoque in carcerum, navium, vel lentis, nervosisque typhis. Evacuantibus re-

D me-

(o) *Reperitur in fine paginæ antecedentis.*

mediis egemus etiam aliquando ad torpentem, sopitamve, vel á morbi causa oppressam suscitandum naturam; hicque freqüens potest esse casus in typhis memoratis, præcipué quando á contagioso miasmate nascuntur. Qüinimo necessaria freqüenter sunt laudata medicamina ad producta morbosa, ut aiunt, foras ableganda, imitando naturam, quæ versus intestina vitiatos dirigere solet humores; illa namque producta ulterius in corpore detenta pejoris indolis febrem redderent; cęterum hoc neque in laudatis typhis evenit semper, neque adhuc in reliquis putridis febribus, etsi primas ultra vias earum transcenderit causa. Sic evincit epidemia anno 1758 observata Hellemes, populo Lille finitimo; ideoque, qui eam accuraté describit, D. Boucher, advertit remedia ventrem evacuantia citra noxam omissa fuisse (*p*).

38 Emeticorum igitur, et purgantium non reprobabo præscriptionem, quotiescumque vita anteacta, oris fætor, nausea, vomitus, et alia signa arguunt sistematis gastrici *turgentiam*; credam tamen, quod deficiente hac conditione, vel absque revellendi, aut excitandi necesitate, de qua superius egi (num. 37), tutius erit vel ea omnino omittere, vel parum in ipsis insistere. De purgantibus drasticis nec verbum facio, sed de suavioribus, illa namque, quæ in scorbuto veneni instar sunt testante Lind (*q*), irreparabiles pariter juxta Huxam, et Pringle in suis typhis edunt strages (*r*). Ipsorummet purgantium mitiorum operandi modus ea repetere suspectum reddit; jam diu namque notum est humores illa corrumpere, et postea corruptos evacuare. Hinc deduci valet *turgentiæ* haud esse signum, neque evacuandi arguere necessitatem excrementorum copiam catharticis expulsam. Neminem latet, homi-

(p) *Journ. de Med. de Par. tom.* 10. *pag.* 459.
(q) *Traité du scorbut. tom.* 1. *pag.* 363.
(r) Huxam *de febrib. c.* 7. *pag.* 55. Pringle *op. cit. p.* 200.

mines utut sanissimos, quando purgantur, olidas crassas, copiosasque excernere fæces. Sed super his non immorabor, fusé enim de his egit, et exemplis confirmavit Van-Swietenius inter alios (*s*). Dicam dumtaxat, quod á corruptionis augendæ effectu, in evacuantibus noto, antimonialia remedia non excipiuntur; sive enim experimenta in humano corpore facta, sive in substantiis mortuis instituta inspiciantur, antiseptica in antimonialibus, ab aliquibus credita, virtus plane desideratur (*t*).

39. Ergo quotiescumque evacuantium ope adimpleri non possit indicatio *putridam destruendi acrimoniam*, quin ulteriora exurgant damna, præcipué putrefactionis augmentum, ad aliam ejusdem indicationis adimplendæ rationem confugiendum est. Oportet igitur *acre illud septicum corrigere*. Postquam *animalium substantiarum* (*) intensæ putrefactionis correctionem extra corpus obtinui; vix dubito idipsum intra corpus consequi posse absque copiosis evacuationibus; etenim præterquam quod quamdiu vita durat, putrefactio non ita, ac post mortem, absoluta est, antiseptica vis in aliquibus humoribus maximé residet, ut de liquore gastrico nuperrima sapientum Spallanzani, et Sennebier experimenta testantur. Remedia, quibus hoc negotium obtineri valet primis periodis carcerum, aut nosocomicorum typhis, et aliarum febrium putridarum, alteram pariter adimplent indicationem, puta ulteriorem fermenti putridi generationem impediendi. Hanc rem, seu correctionem illam ita serió, ac meretur, meditatam non esse ve-

---

(s) *Comment. in aph.* 201. *tom.* 1. *pag.* 292. *et com. in aph.* 761. *tom.* 2. *pag.* 499.

(t) *Dissertat. Med. de* Tartaro *emet. Auctore* Gerbert. *Monspel. ann.* 1787.

(*) *Substantias animales appello carnem, sanguinem, serum, bilem, quibus experimenta tentavi.*

vereor, fortasse quia tutiora nos desiderantes, scilicet septici fermenti expulsionem, quod sat bonum, et sufficiens est negligimus, nempe illud corrigere, signanter quando ejus expulsio periculo non caret. Sola particularium mixtionis mutatio in liquidis, hæc bona, vel prava sæpe constituit. Acescens jam vinum, ex calido climate in frigidum translatum, bonum absque superaddito redditur. Quæ, frigidis temporibus turbida, et corrupta videtur urina, pristinum moderato calore recuperat statum. Idipsum fortasse intra corpus absque evacuationibus eveniet. Super his legi meretur D. Torti; etenim quæ de febribus Kina curandis asserit, meum argumentum confirmant (*x*). Si consideratur, quod gravi sępe scorbuto fere absque evacuatione medela fit; eodem pariter modo prædictos curari posse typhos credemus, si inter eos morbos analogia suspicatur, et en maximam, quam ex hac consideratione deducere valemus utilitatem.

40 Ad fermenti putridi correctionem consequendam, in primo prædictarum febrium statu, remedia nova haud proponam, quæ in usu sunt præstantissima judico, dummodo eâ, qua possunt, et debent, præscribantur dosi; illâ enim, quâ regulariter assumuntur, ad scopum non sufficiunt. Repetitis didici experimentis, *substantias animales* in communibus borraginis, acetosę, lactucæ, cichorii, aliarumque plantarum decoctis derelictas duodecim, et quindecim corrumpi diebus prius, quam æquali succi expressi earum quantitate immissas. Observavi etiam hos succos, decem, quindecim, et viginti diebus, animalium substantiarum laxitatem, fætoremque corrigere, quando hæ jam corruptæ illis submerguntur; quæ pariter sub eodem corruptionis statu inditæ decoctis post duos dies eadem monstrant signa, ac illo tempore, quo in eis submersæ fuere. Ergo quam-

(x) *Therapeutice febrium special. cap. 3. 4. et 5.*

quamvis prædicta decocta nullatenus sint negligenda;tamen ex proficuis plantis expressos succos ad duas, tres, et ultra libras quotidie præscribere, aut utile, aut fere necessarium erit.Earum succus suppleri commodé poterit fructuum horçorum succo, sacharo aut melle mixto. Plura specifica haberentur si debita dosi remedia opportuna præscriberentur aiebat Clerc (*y*).

41 In putridis febribus communiter,et in carcerum, vel navium typhis sæpissimé, utiles sunt horæi fructus; verum ejusmodi febricitantes vix valent hos eâ comedere quantitate, qua opus est, ut subito destruatur, aut corrigatur acrimonia septica. Quid ad hunc obtinendum effectum valent quinque, aut sex aurantia dulcia, quæ ad summum ederet febricitans, cui solidorum alimentorum esus molestiam facit, cum ad quinque, aut sex libras ab illis expressi succi saccaro mixti, requirantur. *Substantiæ animales* sub limonum, vel aurantiorum succo magnâ aquæ quantitate mixto, ut in potu vulgó *limonata* appellato fit, immersæ, viginti, et ultra diebus corrumpuntur prius, quam sub eadem illorum meri succi quantitate sepultæ. Cum aurantiis dulcibus similiter mihi successerunt tentamina. Hinc concludendum, longé efficaciorem inesse virtutem antisepticam mero succo, quam ejusdem cum aqua miscelæ.

42 Præterea in morbis, causæ ratione febribus putridis analogis, quorum curatio brevi plantis, aut fructibus consequuta fuit, opus erat, quod ægrotantes plenis, ut aiunt, buccis illos comederent. Equidem in chronicis ægritudinibus, in quibus spissa, et amurcosa culpatur bilis, taraxaci, borraginis, aut cichoreæ succum ad sex, vel octo uncias præscribimus. ¿In acutis igitur, quorum periculum imminentius,vel urgentius est, acquiesceémus præscriptioni vegetabilium succi ad unciam unam, quam ad summum continebit decoc-

tum,

(y) *Hist. naturell. de l' homme malade tom.* 1. *pag.*333

tum, à febricitante intra nicthemerum assumendum?

43 Lactescentes amaræ herbæ, quarum catalogus apud Boerhaave reperitur (*y*), contraindicatę non sunt, quamvis febris adsit, ideoque et in febribus lentis nervosis, et in aliis putridis, exiguo stipatis calore, locum habere poterunt; cum in eis spissa, aut amurcosa bilis, vel corrupta supponatur pituita. Proficuæ etiam in febribus inflamatorio putridis esse valent, etsi ad has horarii fructus præstantiores sint (z). Borraginis, buglosæ, aliarumque similium succi in eis etiam usurpari poterunt, sicuti factum esse legitur apud Parisienses miliari laborantes febre mense Maio anni 1760 (*a*). Prædictos similibus in casibus suadet etiam succos D. Darluc, qui ipsos in Provinciæ epidemia præscripsit (*b*). In chronicis ægritudinibus, in quibus acris, aut summé effrænata accusatur bilis, ut in furentissimis maniacis, ægri sanitati restituti sunt, cerasa, aliosve fructus ad viginti, et ultra libras, edentes quotidie (*c*). Pthisici, quorum sanguis summé infectus acrimoniâ, et ad corruptionem maximé proclivis est, pthisici, inquam, qui sanitatem cucumeribus, fragis, aut aliis fructibus recuperarunt, plenis buccis eos devoravere (*d*). Videamus denique quid evenerit scorbuto laborantibus, cujus cum variis typhis affinitatem alibi (*Part.* 1) probavimus.

44 In Problematibus de scorbuto à D. Antonio de Haen elaboratis infinitorum legitur variis ex classibus nautarum historia, qui cum deplorabilem in statum ob scorbutum pervenissent, brevi sanitati restituti fuere, plan-

(y) *Sect. 614. Mat. Med.*
(z) Van Swiet. *Comment. in aph. 614. tom. 2. pag. 153.*
(a) *Journ. de Med. de Par. tom. 13. pag. 92.*
(b) *Ibid. tom. 31. pagin. 337. et 342.*
(c) Van Swiet. *aph. 1097. tom. 3. pag. 480.*
(d) Van Swiet. *comment. in aph. 1209. tom. 4. pag. 83.*

plantas, et fructus pro omni alimonia sumentes, adeo ut ea potius vorasse quam edisse dixisses (*e*). Similia viderunt exempla D. William Cockburne, et Murray (*f*). ¿An ergo in putridis febribus, à bile vel acri, vel furentissimâ natis, vel in quibus putredo in majoribus vasis reperitur, multum sperandum á fructibus, si largâ dosi ipsorum expressi succi non præscribantur? Si dum *substantiarum animalium* drachmæ duæ tribus *limonatæ* unciis immerguntur, vix earum putredo corrigitur, ut sæpissimé observavi, ¿quid ex quatuor aut sex libris illius potus sperandum, quas ad summum viginti quatuor horis bibet ægrotans, dum multó major erit septica massa emendanda?

45 Verum est, corruptionem dum vivimus ita plenariam in corpore non esse, ac substantiarum, in quibus experimenta feci; cæterum considerandum me duas *putridæ substantiæ* drachmas tribus liquidi unciis immisisse; et si ad liquidi quantitatem attendimus, quam intra nichtemerum bibit æger, inveniemus duas *limonatæ* drachmas fere respondere viginti libris substantiæ humani corporis, aut corrigendæ, aut á putrefactione præcavendæ. Aliqua itaque ex adductis tentaminibus deduci poterit consequëntia. Putridæ etiam carnis frustulum in duas secavi partes, harum primam *limonatæ* injeci, alteram sub æquali limonum expresso succo immersi. Hæc á putrefactione correcta fuit, et in hoc statu diu permansit; alterius frustuli, *limonatæ* injecti, corruptio vix emmendata. Experimento cum solo aurantiorum expresso succo, et cum ipso multâ aquâ mixto, pertentato, idem obtinui. In sanguine corrupto institutis experimentis idem mihi obtigit eventus.

Sed

(e) *Rat. medend. Pars* 8. *cap.* 4. *tom.* 4. *pag.* 142. *et sequ. edit. Parisiens.*

(f) *Videatur* Lind *de scorb. tom.* 1. *pag.* 268. *et tom.* 2. *pag.* 138.

46 Sed ne rem conficere videar ex institutis tantum extra vivens corpus experimentis, felices, quos produxere effectus limonum succi, vel horum taleolæ supra ulcera putrida, et gangrenosa applicatæ, inspiciantur quæso. Profecto et Medici, et Chirurgi Angli testantur ad prædictorum ulcerum medelam neque Kinam, neque alia famigerata remedia ita profuisse, ultimo bello, ac limonum expressi succi, vel taleolarum applicatio. Puri succi ipso aquæ diluto præstantiam observarunt prædicti Angli (g). An autem hæc pendeat ab aëre fixo, qui á vegetabilium succis magna quantitate separatur, et quæ minor, aut nulla est, si aqua diluuntur, hic non disputabo. Scio Macbride, aliosque ita judicasse. Neque me latet utilitas cataplasmatis fermentantis supra gangrenam appositi (*h*). Sed usquedum ulteriora experimenta hanc theoriam certam omnino reddiderint, sufficiet effectus, seu præstantiam illam cognoscere, etiamsi ejus causam ignoremus. Ergo ad putridam diversarum febrium acrimoniam corrigendam loco ptisanæ ex vegetabilibus factæ, istorum expressis succis magnâ utendum quantitate. Hi pro febrium diversitate variandi. Quotiescumque septica acrimonia in crassis, viscidis, parumque acrioribus humoribus residet, ut in febribus Huxam lentis nervosis, utilis erit cichoreæ, lactucæ, herbarumque lactescentium expressus succus, ut jam dixi (num. 43). Si autem humores acriores sint, mobiliores, tenuesque, et calor nimis intensus, et mordax, ut in multis carcerum, aut navium febribus accidit, tunc præstantiores sunt expressi horęorum fructuum succi. Quando putrefactionis subjectum est bilis, vel cum corruptione inflammatio conjuncta adest, vera

tunc

(g) *Journ. de Med. de Par. tom.* 74. *pag.* 430. *ibi reperiuntur Observat.* D. Gillepsie.

(h) *Ibid. tom.* 66. *pag.* 505.

tunc antiseptica acida vegetabilia erunt, inquit D. Pereira (i).

47 Hiemali tempore usurpari poterit eorum syrupus, vel melius rob, ad quatuor, aut quinque quotidié libras propinatus. Saccharum, quod magna syrupos ingreditur quantitate, etiam est antiputridum (k), ventrem suaviter movet, ideoque ejus libram unam viginti quatuor horis prescribebat Van Swietenius (l). In Architalassi Cock per orbis ambitum itinere antiscorbutica sacchari virtus detecta fuit, et ab aliis postea navigatoribus confirmata, quæ nova ratio est, quare in putridis febribus præscribatur. Rob, quod est lento igne inspissatus fructuum succus, priusquam fermentaverit, prædicto scopo satisfaciet, si ad libras, non vero ad uncias assumatur; utileque erit temporibus anni, et in regionibus, in quibus fructus deficiunt. Ex sambuci baccis, ex uvis, cerasis, prunis, aliisque fructibus confici potest rob; ideoque inferioris sortis homines, apud quos typhi freqüentiores sunt, vili prætio præstantissima remedia ement. Nimis spissum esse solet omne rob; sed facile erit ipsum tenue reddere, ei, aquæ loco, addendo acetum, cujus antiseptica vis neminem latet; et est notissima ars pisces, ad corruptionem summé proclives, aceto servandi. Probé scio, quæ adversus antiscorbuticam virtutem rob adducit D. Goguelin (m), cæterum cum succus sit fermentationis adhuc capax, adversus scorbutum prodesse posse credo.

48 Quod si rob, et fructus deficiunt, his substitui

(i) *Lib. citat. numer. 410. pag. 189.*

(k) Van Swiet. *comment. in aph. 398. tom. 1. pag. 632.*

(l) *Ibid. aph. 693. tom. 2. pag. 285.*

(m) *Videat. Essai de Mr.* Goguelin *sur le scorbut. inseré dans le Vol. des ann. 1780 et 1781 de la Societ. Royal de Medecin. de Paris pag. 175.*

tui poterunt oximel, vel oxisaccharum. Mel ita antiputridum est, ut Babilonię gentes in ipso sepeliverint cadavera, quæ servare voluerint (*n*). Illius vis antiscorbutica á D. Goguelin attestata est (*o*). Sedtamen præparata hæc non ad uncias, sed ad libras propinanda, ut promptos edant effectus; parcâ enim quantitate corruptioni breví corrigendæ haud sufficiunt. Proficuum aliquoties erit acetum cum supradictis plantarum expressis succis miscére, puta quando humorum spissitudini intolerabilis jungitur calor, ut in Pringlianis carcerum, vel navium febribus accidere poterit. Tandem arbitror, quod si bilis furentissima esset, et calor summus oxisaccharum, vel aceti syrupus oximelli præferri deberet, utpote quia cum mel sat aromaticum sit, calorem excitare posset; aceto haud temperandum. Est itaque in Medici potestate remedia variare, prout ęgrotantium desideria, facultates, alięque circunstantię poscent.

49 At regeret quisquam, quod solis evacuantibus, et regularibus borraginis, aliarumque plantarum decoctis, sępe putridæ febres, et plures typhi curantur. Ego vero respondebo, quod si hujusmodi auxiliis non sanentur feré omnes, febrium duratio ad duas, vel tres septimanas extendatur, periculosa earum non pręcaveantur symptomata, multum adhuc nobis insudandum restat, multumque arti nostræ deficiet. ¿Num vero methodo á me oblatâ conseqüentur proposita bona? Ipso suffocabuntur carcerum, vel navium febres in ovo, quemadmodum tutó, citóque curatur nautarum scorbutus? Stabilita (*Part.* 1) inter hos morbos analogia ita suadet, et sic contingere oportebit, ut ulterius ea confirmetur.

50 Tot tantaque emolumenta afferre methodum illam

(n) Hærodot. *lib.* 1. *pag.* 80.
(o) *Loc. citat. pag.* 174.

illam asserere non audebo, dicam tamen, quæ viderim. Anno 1784 mihi in mentem venit inter scorbutum, et varios typhos affinitas. Ab eo tempore expurgatâ primæ regionis saburrâ, decoctorum loco, magnâ expressi plantarum succi quantitate, vel oximelis, sacchari, aut syrupi de aceto ingenti dosi in putridis febribus usus fui. Mihi videtur aliquas in cunis extinctas fuisse, et alias absque periculosis symptomatibus suas cucurrisse periodos. Cęterum hucusque á me factę observationes non ita numerosę sunt, ac requiritur, pro methodi prestantia stabilienda; etenim morborum initio decipimur sępissimé, credentes gravem fore ægritudinem, quę cito postea evanescit, et é contra parvi momenti febrem judicamus, cui deinceps gravissima superveniunt symptomata. Febres selegi equidem, in quibus vel contagii suspicio, vel accidentia eas longas, periculosasque arguebant; verúm fortassé et ipsarum malignitas methodo regulari dissipata fuisset. Epidemiis hęc quœstio dirimetur, nam si in novem ex duodecim ęgris, propositâ tractatis methodo, febris ulterius non progrediatur, et brevi cesset, contrarium vero accidit eis, qui usitatę praxi subjecti fuerint, votis successus respondebunt; si autem tribus, aut quatuor dumtaxat ægris ea felicitas obtigerit, tunc potius mali levitati, quam speciali remediorum virtuti fortassé attribuenda erit; causa enim epidemica non omnes ęqualiter afficit.

51. Silentio non premam laudatam methodum pulcriores fortasse pręstiturum effectus in epidemicis typhis, quam in sporadicis; ita ut ex uno, aut altero adverso successu ejus inutilitas nequaquam sit concludenda. Quemadmodum enim scorbutus accidentalis citius, faciliusque curatur, quam constitutionalis, sic accidere potest in febribus; et hæc, ni fallar, est ratio, quare ipsis remediis, quibus sæpe epidemicę febres vincuntur, sporadicę, quę veluti constitutionales quandoque considerari valent, in pejus ruant.

52 Fortasse propositæ methodi utilitas aliquibus observationibus, ab Eugaleno in suo de scorbuto tractatu relatis, confirmari posset; verùm cum á D. Lind de illo Auctore facto judicio subscribendum putem, ejus testimonium non adducam, neque hac in re ulterius immorabor; loquendum enim mihi restat de aliis adversus carcerum, navium, et lentos nervosos typhos remediis, quę istorum cum scorbuto analogiam ulterius comprobant, et de quorum efficacia non ita incertus sum, ac de peculiari prędictæ methodi virtute.

53 Si itaque adhibitis, vel neglectis supra memoratis vegetabilium succis versus sextum, septimum, vel ultra morbi diem increscit febris, pulsus obscurus redditur, lingua sicca, aspera, et brevis fit, aliqua ex cavitatibus infarcitur, uno verbo, malum novas adquirit vires eundo; opus est methodum mutare, judicandum namque, hucusque adhibitam subigere non posse morbi causam. Præterquam quòd tunc temporis specialis adest laxitas in ęgrotantibus, et lassitudo, quæ nullatenus illis emendanda videtur remediis, quæ aliquo modo laxantia, et frigida dici possunt. Indicationes eædem omnino sunt, quas (num. 29) indicavi, cæterum diversis adimplendæ remediis; sicuti etiam fit sub præfatis circunstantiis in communi praxi: tunc siquidem nova usurpantur decocta, rejiciuntur emetica, et purgantia, quod evacuationes non prosint, sufficitque alvum enematibus identidem præscriptis, servare apertam; alia tandem præscribuntur medicamenta, quibus neque impeditur, quod memorati typhi, nec aliæ putridæ febres ad 14, 17, et 21 diem perdurent; neque præcavetur, quod mortis limina salutent ęgrotantes, etiamsi post mille ærumnas tandem evadant incolumes.

54 Id profectó evenit plurimis febricitantibus, decoctis alexipharmacis, camphorâ, vel solâ, vel minerali Kermete maritata, cortice peruviano, et vesicantibus, doctâ licet manu, tractatis. Ergo inter *desi-*

de-

derata medica ponendum remedium; quod illis mederetur ærumnis, seu quo tutior, citiorque febrium curatio consequeretur. *Hocce, ni fallor, medicamen efficaciter putrefactioni resistere, ipsamque corrigere debet; neque sanguinis lentorem, neque solidorum tensionem augére; nullatenus ventris evacuationes, seu corruptorum humorum, quos illuc natura dirigit, cobibere, imo et eorum corruptionem emendare; quin tamen corpus calefaciat, aut incendat, quamvis naturam incitaturum sit, quæ tunc temporis aut á generali visciditate, aut á morbi causa oppressa jacet.* Sané si mente á præconceptis opinionibus libera aliquis serió super recensitis remediis meditetur, quibus illud (num. 53) descriptum febrium stadium oppugnatur; fatebitur certó ab eis, utut antisepticis potentissimis, desiderata non experiri beneficia; quia nuper expositis dotibus non instruuntur, seu quia debita præscribi nequeunt quantitate. Nonnulla ex hujusmodi remediis perpendamus.

55 Decocta ex angelicę, valerianæ silvestris, aliarumque radicibus, aut foliis, alexipharmaca vulgó appellata parum proficua inveni ad substantias animales á putrefactione defendendas, vel ad eas putridas emendandas. Eorum vegetabilium expressos succos opportuniores esse ad hos fines repetitis didici experimentis. Verum nonne aromatica istorum virtus suspecta erit, si in prædictis febribus præscribantur ita subitó, ac solent alexipharmaca adhiberi decocta, de quibus parum utilitatis spectari valet? „ Radices contrayervę, et serpentariæ virginianæ minus antisepticâ virtute prosunt, quam calefaciente nocent, si priusquam vires deficiant, propinantur, expertus inquit Mertens (o)".

56 Camphoram efficax esse remedium antisepticum

(o) *Observ. de febr. putrid. et de peste pars* 1. *cap.* 1 *pag.* 36.

cum nullus dubito, verum ut ejus ope consequamur, quæ desiderantur, majori est dosi prȩscribenda, quam sopor, vel cataphora in carcerum, aut navium typhis summé familiaris, permittit. Aliunde sufficienter stupidi, aut insensibiles non sunt nervi, ut illa non timenda sint damna, quæ ex larga camphoræ dosi sequi docet D. Collin, qui ȩquus hacce in re judex est, quoniam quamplurima cum ipsa fecit pericula; ejusque tres, quatuor, et ultra intra nictemerum drachmas præscripsit (*p*). Illius Auctoris monita confirmant D. Bouteille observationes, quæ aliunde docent, camphoram sæpe parum votis satisfacere (*q*). Cæterum ut hacce in re dubium superesse nequeat, audiatur D. Boucher, qui de epidemia loquens, quam vidit in vicinia Lille anno 1758 asserit: „ Hæc auxilia dumtaxat usque ad certum gradum juvant. Remedium desideratur adhuc oportunum ad illud specificé corrigendum venenum, quod violentum istum et fovet, et producit spasmum, ex quo mille oriuntur ærumnæ, quia ut experientia docet ex famigentissimis nil sperandum specificis, camphora puta, et serpentariæ virginianæ, contrayervæ radicibus (*r*) ".

57 In inmensum cresceret pagina, si loqui vellem de contraindicantibus, quæ vesicantium, et peruviani corticis præscriptionem sæpe vetant. Facile ex dictis (num. 54) erui possunt, ideoque nil mirum si omnibus prædictis remediis typhi memorati, et aliæ putridȩ febres ad 17, et 21 diem protelentur, et ægri in orci fauces jamjam lapsuri multis diebus persistant. Quod si sub fulgentissima nostri sæculi luce, qua putridarum febrium, et septicarum, atque antisepticarum substantiarum provincia illustratur, remedium propositum (num. 54)

(p) *Ann. Medic. tom. 2. Appendix de camphora p. 531.*
(q) *Journ. de Medic. de Paris tom. 51. pag. 354.*
(r) *Ibid. tom. 19. pag. 532.*

54) adhuc inventum non fuerit, id maximè ex eo ortum fuisse credo, quod nimium sit adhibita fides remediis, quorum usu interdum consequuta fuit inesperata medela; inde enim creditum, quod quotiescumque illis non sanant ægri, malum remedio superius est, quia.

Non est in Medico semper relevetur ut æger.
Interdum doctâ plus valet arte malum.

58 Aliunde pluribus sola ægrorum curatio abundè satisfacit; etiamsi longus, periculisque plenus fuerit morbus; verum enim vero cum docuerit Sydenham fortunatum ægrorum exitum haud probare semper rectam curationis methodum, et quod infelices essent homines, si sanarent dumtaxat illi, qui rectâ tractantur methodo, quotiescumque febrilis prolongatur ægritudo, scrupulis torqueor, me in curatione ea, quæ potueram, et debueram, non fecisse; inde remediorum nata idea pro febribus lentis nervosis, et pro secunda carcerum, vel navium typhorum periodo, imo et pro secundo aliarum febrium stadio, de quibus jam tandem loquendum est.

59 Pertæsus durationis cujusdam nosocomicę febris, á me anno 1784 observatæ, in ejus naturam attentius inquisivi. Perceptis symptomatibus scorbuticorum similibus orta idea affinitatis inter has ęgritudines; indeque cogitare cæpi, an utrique hi morbi iisdem curari possent remediis, et an ipsis nosocomicæ febres eâdem brevitate tollerentur, ac sanati fuere scorbutici, de quibus loquitur Haen in suis de scorbuto Problematibus, jam citatis. Sic enim ratiocinabar: Supradicti ægroti in illo constituti erant scorbuti gradu, in quo, juxta D. Boerhaave, Van Swieten, Colombier, et alios omnia, vel præcipua symptomata vigent, quæ putridis in febribus reperiuntur; nihilominus septem, vel octo diebus sanarunt: Ergo eadem in putridis febribus spectanda felicitas, si illorum scorbuticorum

re-

remedia largâ dosi, et priusquam putridum fermentum considerabiles in corpore strages fecerit, assumantur; etenim quod curare potest, potest et pręcavere, ut asserit D. Pereira (*s*). Pręterquam quod quę putridâ febre laborantibus adest pulsus celeritas, naturę vires demonstrat, et quamvis ex una parte fermenti septici generationi faveat, aliunde illius expulsionem, et remediorum effectus adjuvat, adeo ut in justo moderamine conservata, potius curationem accelerare, quam retardare videatur.

60 Adnotavi remedia antiscorbutica, ut in febribus putridis optatos effectus edant, esse prodigâ præscribenda manu; etenim cum D. Haen credo, ideo sæpissimé diuturnam esse scorbuticorum curationem, quibus medicinam facimus, et ita celerem illorum, de quibus ipse loquitur, quia nos guttas, drachmas, vel uncias præscribimus remediorum, quæ plenis buccis prędicti edébant ægrotantes, cum solis antiscorbuticis vegetabilibus alerentur (*t*). Addidi sępissimé, quia Medicus Viennensis videtur ante oculos scorbuti divisionem in accidentalem, et constitutionalem non habuisse, hac namque suarum difficultatum nodus maximâ ex parte solvitur.

61 Fortasse si auctores, qui idemptitatem, vel affinitatem causarum scorbuti, et febrium putridarum suspicati fuere, pre oculis habuissent laudatas D. Haen observationes, mea proposuissent remedia, à quorum præscriptione alioquin eorum animum removebat, tardé nimis consequuta curatio nostrorum scorbuticorum; ego quidem aliam non invenio rationem, quare ipsis usus non fuerit D. Taranget, malignâ in febre, quam ob celeritatis pulsus defectum, gingivas lęsas,

pe-

(s) *Lib. citat. pag.* 108. *num.* 259.
(t) *Rat. medend. tom.* 4. *supr. citat. pag.* 174.

petechias et alia scorbuti signa jure merito scorbutum appellat acutum (*x*).

62 Opponi poterit, scorbuticos, de quibus agit D. Haen, indiscriminatim antiscorbuticis curatos fuisse suavibus, et acribus, seu stimulantibus, ut ipse refert, ideoque idem putridis spectandum in febribus, quas ab eadem, vel simili productas causâ supono. Non me latent dubia, quę D. Lorent movit super D. Haen assertis, illos nempe scorbuticos inveniri eodem in gradu, et dulcibus æqué, ac acribus curatos fuisse vegetabilibus (*y*); sed cum illius argumenta irrefragabilia non sint, respondebo, circunstantiarum varietatem, quę in diversis febrium putridarum periodis reperitur, sufficere ad persuadendum, plantas cruciferas D. Tournefort, vel tetradinamicas equitis Linnei, vulgó antiscorbuticarum acrium nomine cognitas, præstantiores esse pro secundo febrium tempore ob rationes (num. 53) indicatas. De reliquis antiscorbuticis acribus nil dicam, de cruciferis unicé loquar.

63 Experimentum, quo ostendit D. Pringle virtutem antisepticam cocleariç hortensis, quę altera est ex plantis tetradinamicis, me etiam impulsit ad has adhibendas in putridis febribus (z); non adhibui tamen, donec de pręedicta virtute certior essem, plusquam quinquaginta super eandem cocleariam, et alias ejusdem familiæ plantas tentatis experimentis, quorum summa est: *Substantias animales* sanas expresso illarum succo commissas, diu incorruptas servari; putredinem perfecté corrigi, ac ingratum odorem tolli earum, quæ illi putridæ injectæ fuerant; laxam carnem pristinam recuperare firmitatem, hanceque per plures dies conservare. Multa pariter feci experimenta verve-

F cinâ

(x) *Journ. de Med. de Paris tom. 62. pag. 585.*
(y) D. Lorent. *de morb. deter. notæ pag. 191.*
(z) *Memor. 4. ex citat. experim. 35. pag. 311.*

cinâ in bile sanâ, vel corruptâ, ipsam miscendo cum majori, vel minori dictarum herbarum quantitate; semper antisepticam inveni vim intensiorem, quotiescumque majorem succi quantitatem adderem. Mixtura ex æquali succi coceariæ, et bilis sanæ quantitate servata fuit absque minimo corruptionis signo, et post duos menses siccata est, gratum exhalans semper odorem. Ter hoc experimentum institui, quia cum bilis corrumpi soleat in omnibus febribus putridis, ut animadvertit Huxam *(a)*, oportebat vim coceariæ adversus hujus humoris putriditatem certó cognoscere, priusquam cruciferarum plantarum antiseptica virtus statueretur.

64 Quæ cum ita sint, nil mirum, si Medici Parisienses observaverint, ex icteritiis (in his vitiari solet bilis), quæ mense Julii 1781 grassabantur, aliquas fuisse symptomatibus scorbuticis stipatas, ideoque vegetabilium antiscorbuticorum usum omnium illarum curationem accelerasse *(b)*.

65 Antiseptica plantarum tetradinamicarum virtus nedum in fixa earumdem parte residet; volatilis quoque summé antiputrida est. *Substantiæ animales* diutius incorruptæ servantur immissæ succis earum recenter expressis, quam ab uno, aut altero die paratis: coceariæ spiritus, putridum oris scorbuticorum fætorem corrigit, et jam diu applicatus fuit in gangrena; et tandem D. Majault brevi tempore valde gangrenosas curavit fauces, soli vapori raphani ipsas exponens *(c)*, ita efficax est virtus illius spiritus antiputrida. Nasturtii aquatici copiosum suasit in jusculo usum D. Marteau pro angina maligna laborantibus apud Picar-

(a) *De febribus cap. 8. pag. 76.*
(b) *Journ. de Med. tom. 56. pag. 171.*
(c) *Journ. citat. tom. 5. pag. 26.*

cardienses epidemicé sæviente (*d*). Prædictum laudat nasturtium D. Dussausoi in gangrenosis nosocomiorum ulceribus, seu in gangrenis istis illuc supervenientibus (*e*).

66 Cruciferæ igitur herbæ utiles esse poterunt ex hoc capite in febribus putridis, illo tempore, quo ægrorum lassitudo, et debilitas remedia exoptat, quæ ipsorum vires erigant, et quæ simul efficaciter corruptionem coerceant. Præterquam quod si laudatis in febribus spiritus valde afficiuntur, ut advertit D. Pringle, volatilis plantarum cruciferarum pars directé eis occurrere poterit, ob suam penetrabilitatem; et en tertiam rationem, quâ ad illas memoratis in febribus præscribendas inductus fui.

67 Quotidianum usum succi expressi cocleariæ, vel alterius plantæ cruciferæ acris ad libram unam, et amplius formidabunt multi, credentes eum præscriptum á sextâ, vel septima morbi die, in quo adhuc sat vehemens perseverat febris, quamvis pulsus jam obscuri fiant, fortiorem calorem, et majus incendium producturum. Hos omnes obsecro, ut legant Problemata de scorbuto D. Haen toties memorata, et spero præconceptum ex plantis cruciferis damni metum depositurus. Re vera enim haud capere possum, quomo-

 do

(d) *Ibid. tom.* 11. *pag.* 163.

(e) *Ibid. tom.* 69. *pag.* 48. (*) *Non possum non inserere quæ super his Diarii editor addit: „Mirandum inquit quod* D. Pouteau, *et* Dussausoi *in laudato gangrenoso statu Kinam damnent; etenim nullibi melius illi est locus quam hic, cum atona, seu debilis sit fibra, et humores dissoluti reperiantur". Sed cum stimulans cortici peruviano deficiat, quæ tunc requiritur, virtus, nil mirum eo præstantius agere cruciferas plantas. Rationem taceo, quare sæpe scorbuticos lædit Kina testante* Lind (*De scorbut. tom.* 1. *pag.* 413.), *quæ profectó hic locum habet.*

do si prædictæ plantæ summé calefacerent, ita profuissent tot, tamque periculosé laborantibus ægris, eis adeo largiter vescentibus; præsertim cum repenté in hoc novum vitæ, vel alimenti genus ipsis transeundum fuisset. Prædicti ægroti ultimum scorbuti gradum attigerant, et aliqui ita debiles erant ut naves deserere non valuerint; ideoque credendum est quamplurimos ex his febris, adeo illo in statu familiaris, haud expertes fuisse; verumtamen etsi illâ non laboraverint, sic possum ratiocinari: si illis noxium non fuit, sed proficuum, per sex, aut ultra dies quotidie comedere plures illorum vegetabilium libras; quid timendum ex una expressi succi libra, diei spatio, diversis insumptâ dosibus, quamvis febre laborent ægrotantes.

68 Si febres summé putridæ malignæ, et petechiales regulariter non oriuntur nisi á putrida acrimonia, irritata, ut asserit Huxam (*f*), et hæc plantarum cruciferarum succis corrigitur, quia summé antiputridi sunt, eorum usu nedum febris ipsa non augebitur, quin potius imminuetur. Ad rem loquutus est Dominus Cartheuser: ,, Varii dantur morbi, qui proximé quidem, et immediaté ex motibus solidorum exorbitantibus nascuntur, et fortiora nilominus commoventia non solum ferunt, sed etiam ad sui curationem postulant...................sub cujusque enim morbi curatione vera, Medicus rationalis non tantum de mitigando motu præternaturali, et profligandâ causâ formali, sed simul quoque de corrigenda causa materiali sollicitus esse debet, quoniam hæc illam ordinarió producit, et hac igitur præsente, ac perdurante illa cessare nequit (*g*).

69 Fateor in omnibus, quas legi, Materiis Medicis in-

(f) *De febribus, cap. 8. pag. 63.*
(g) *Materia Med. tom. 3. pag. 27. Sect. XIV. cap. 2. § 7.*

invenisse reprobatam coclcariam, aliasque ejusdem classis plantas in biliosis, sanguineis, et iracundis; verúm postquam legerim Problemata de scorbuto D. Haen, multis præscripsi quotidie, matutinis horis, tres, quatuor, et ultra uncias illarum expressi succi, unica dosi, citra minimam noxam; et sollicité ęgros interrogans, et observans, nulla incendii, vel aucti caloris signa reperivi. Si quis comparat sensationem, quam in ore supradictę relinquunt masticatę plantę, cum ea, quam excitant ruta, salvia, vel aliæ aromaticæ, fatebitur, istas ardorem relinquere permanentem, illas veró dumtaxat stimulum producere fugacem. Sępissimé hanc acerrimis cum cruciferis feci observationem, ut certior essem, num suo stimulo sensibile, et perdurans excitare valerent incendium. Ut autem volatilem earum partem, quę contundendo multum perditur, retinerem tres aut quatuor cocleariæ foliorum uncias comedi absque sensibili caloris incremento. Principiorum diversitas, quę in laudatis plantis reperitur rationem reddere poterit varietatis suorum effectuum, de quibus vel videatur Cartheuser in sua Materia Medica (*h*), vel cruciferarum analisis á D. Tingry elaborata, et á Regia hac Societate coronata, optimé enim ibi advertitur, antiscorbuticorum vegetabilium spiritus rectorem plus salinum esse, quam oleosum, atque in hoc ab eo, quo aromatica pollent differre essentialiter (*i*). Ideoque iste magis partibus inhærebit, quam ille.

70 Fortase D. Boerhaave tetradinamicas plantas credens, et vocans alcalinas, in eis præscribendis nos reddidit meticulosos; veruntamen D. Pringle claré demonstravit fixam illarum partem haud esse alcalinæ naturæ, et expressum earum succum fermentare, et lac coa-

---

(h) *Sect. X. et XIV.*

(i) *Memoir. de la Societ. ann.* 1782 *et* 1783. *pag.* 356.

coagulare (*k*). Fermentationem illam et ego vidi freqüenter, et temporis successu gustum subacidum in præfatis succis inveni, quod si lac non coagulaverint, fortasse inde natum, quod á me adhibitum lac non ita crassum esset, ac à D. PRINGLE usurpatum, quod bubulum fuisse credendum; sed neque inde infertur prèdictos succos acidos non fuisse, lac enim asininum neutiquam coagulatur succo limonum, vel aceto.

71 Quantum ad volatilem cruciferarum partem, quam laudatus D. BOERHAAVE salem alcalinum volatilem naturalem appellat, credo non esse demonstratu difficile, equivocatione laborasse celeberrimum illum virum. Coclearia, sinapi, raphanus rusticus, et aliæ similes plantæ in digestione, vel maceratione positæ cum aceto, stimulantius illud reddunt, quod haud componi cum supposita indole alcalina potest; tunc siquidem hæc in sal neutrum converteretur cum aceto, resultaret salis ammoniaci species, et stimulus perderetur. Igitur certum est supradictas plantas nulla ex parte vocandas esse alcalinas. Hoc innititur argumento D. CARTHEUSER, qui aliundé et rationibus, et experimentis satisfacit D. BOERHAAVE, contendenti alcalinam esse seminis sinapi partem volatilem (*l*). Postquam publici juris factæ fuere cruciferarum analises á Regia Medicinæ Parisiensis Societate præmio donatæ, certiores sumus, tum earum spiritus rectorem nullatenus esse alcalinum, tum expresso illarum succo aciditatem reperiri manifestam (*m*).

72 Ex hucusque dictis (á num. 59 ad 71) claré, ni fallar, infertur tetradinamicarum succum omnibus gaudere proprietatibus, quæ in remedio requiruntur, in secundo febrium stadio præscribendo (num. 54). Cæte-

(k) *Mem. citat. pag.* 311. *Experient.* 35.

(l) *Mater. Medic. Sect. X. cap.* 1. §. 3. *tom.* 2. *pag.* 218.

(m) *Memoir. supr. citat. ann.* 1782. *et* 1783.

terum quamvis rem ita se habere credatur quoad lentos nervosos typhos, atque quo ad carcerum, aut navium febres spectat, dummodo in ipsis manifesta dissolutionis signa non adsint, nihilominus gravibus premetur adhuc difficultatibus eorum succorum præscriptio, si nigræ petechiæ, et alia symptomata sanguinis dissolutionem arguant; namque timeri potest, ne illi, qui cruoris visciditatem, lentoremque corrigunt succi, ipsius augeant tunc coercendam dissolutionem. Tutiora igitur hoc in casu censebuntur remedia, cortex peruvianus, vitriolique spiritus, oleumque, quàm cruciferæ plantæ. Horum usum non reprobabo, sed ipsis tutó has misceri posse, et deberi herbas propugno. Profecto Kinæ, et vitrioli olei inefficaciam experimur quotidie in illis typhis, sociatis variolis, in quibus jam ante eruptionem nigræ erumpunt petechiæ, et sanguis pleno rivo cum urinis, sputo, aliisque evacuationibus fluit. Idipsum videtur in aliis typhis ejusmodi symptomatibus stipatis. Quærendum itaque remedium, quod illis symptomatibus medeatur, et forsan cruciferarum succus prodigâ manu exhibitus, vel solus, vel Kinâ aut vitrioli oleo maritatus, requisitas possidebit virtutes. Saltem sanguinis dissolutionem augere non posse docebunt sequentia.

73 Succi illi acidi sunt, ut dixi (num. 70); sed omne acidum teste Macquer (*n*), ex se potius coagulat, quam dissolvit: ergo ita de illis judicandum. Non me latet pluribus olim controversiis agitatum, num acetum coagulante, aut dissolvente virtute polleret. Probé scio Van Swietenium dixisse: hodie non est, qui aceti vim dissolventem non agnoscat (*o*); sed pace istorum dicam, carnes, pisces, et plantas in aceto sepultas firmitatem potius, quam laxitatem adquirere, corru-

(n) *Dictionair. de chim. tom.* 1. *Verb. Acide.*

(o) *Comment. in aph.* 1336. *tom.* 4. *pag.* 567.

rugari potius, quam dissolvi. Adstringens aceti vis probé componitur cum antiphlogistica, qua prædictum est, hanc etenim non á principiis dissolventibus, sed ab aliis mutuatur.

74 Aliunde succi illi antiputridi sunt, ægritudinemque summé putridam, ut scorbutus est, corrigunt; sed teste Pringle, si omne adstringens antisepticum est, etiam omne antiputridum virtute aliquâ adstringente pollet, etiamsi quandoque parum manifestâ (*p*). Ergo ita de succis illis credendum.

75 Cruciferæ equidem plantæ sanguinis lentorem, visciditatemque, quæ sub primo scorbuti stadio reperitur emendant; cæterum tantum abest, ut inde vis cruorem dissolvendi eis inesse arguatur, quin potius huic omnino contraria sanguinis compagem densam, compactamque efficiendi demonstratur. Profecto, qui laxum, viscidum, lentumque habebant sanguinem, scorbutici ante earum usum, plantis illis curati, densum, et, ut oportet, debité compaginatum sortiuntur: ergo cruorem nullatenus dissolvunt plantæ cruciferæ. Et sané fibras vasorum suo stimulo vellicando, putrefactionemque antiputridâ sua virtute corrigendo nequeunt non cruoris compagem densare, seu coagulare. Hac ratione profecto illius emendant visciditatem; ista namque in scorbuticis veluti primus putridæ dissolutionis effectus censenda. Sed rei dignitas ulteriorem meretur explicationem.

76 In homine itaque perfecté sano, sanguis debitæ est consistentiæ, serosi ipsum componentes globuli variis sese tangunt punctis, ut ruber justæ molis, et densitatis exurgat globulus. Dummodo res hoc in statu maneant, suum circulum rite peragit sanguis, et per omnia sibi subeunda vasa libere fluit. At vero si aliter se habet res, si lenté putridum agglutinatur fer-

(p) *Memor. 3. ex citat. Exper. 17. pag. 281 et 282.*

fermentum, ex quo temporis lapsu scorbutus exoritur; tunc siquidem, cum dissolutio putrefactionis effectus sit, fermentum illud paulisper serosos disjungit globulos, qui proinde paucioribus sese tangent punctis. Rubra, ex illis coalescens, sphæra latius occupabit spatium loci; decrescet ejusdem gravitas specifica, debiliori ictu vasorum repellet parietes, atque, eorum angustiora ingredi haud potens, quiescet. Unde cruoris lentor, seu visciditas non est híc, nisi laxa illius compages, seu debilior partium ipsum componentium conjunctio. Cum enim dissolutio gradatim efficiatur, opus est ut sensim sensimque partium nexus solvatur, priusquam cruor ad illum deveniat statum, qui dissolutionem constituit. Jam veró tetradinamicæ plantæ, et vasorum fibras vellicando, et putredinem corrigendo, lentorem illum, seu dissolutionis principium destruunt: ergo suas ob dotes, quando absoluta est illa, neutiquam noxiæ esse poterunt, neque contraindicatę. Nonne enim quod leucophlegmaticorum lentorem corrigit ferrum, præsente cruoris dissolutione aliquando tutó præscribitur: ergo remedia, quæ illum emendant, isti etiam quandoque opitulantur.

77. Leuvenochianam de cruoris compositione hypothesim assumpsi, ut clarior illius lentoris evaderet explicatio, sed quæcumque fuerit sanguinis compages, facilé ex dictis assequetur cognitio visciditatis, quæ et in scorbuto, et putridis in typhis admitti potest. Præsente enim putrefactione, præcipuus ipsius effectus, qui dissolutio est, defficere nequit; et ista necessarió major, aut minor erit, prout illa magis, aut minús absoluta invenietur. Probé scio expositæ visciditatis, seu lentoris ideæ adversari multorum opinionem, qui de ea re longe aliter sentiunt; illos tamen decipi arguunt hucusque dicta, et sanguinis scorbuticorum, aut febribus illis laborantium inspectio confirmat. Nec me fugit tetradinamicorum vegetabilium usum communiter reprobari præsente cruoris dissolu-

tione in ultimo scorbuti gradu, sed id immerito fieri ex dictis evincitur, et ex Problematibus de scorbuto á D. Haen elaboratis. Aliunde in Diario Parisiensi hæc leguntur: ,, Septembris mense putridæ, malignæ, petechiales, et miliares regnarunt febres, quibus succubuit maximus ægrotorum numerus. His, qui sanitati restituti sunt, ad echimoses destruendas in convalescentia difficili perseverantes adhibere oportuit antiscorbutica " (*q*). Credendum acria fuisse, quia alia parum profutura convalescentiæ tempore videntur; cum autem echismoses reliquiæ essent dissoluti sanguinis, qui petechias, et maculas produxerat, difficulter intelligitur, quo modo antiscorbuticis dissiparentur, si ista partis rubræ cruoris dissolventia essent; his namque instructa viribus echimoses, vel maculas auxissent. Aliunde in relatione publici Facultatis Parisiensis cætus, *Prima mensis* dicti, Januarii 1786 hæc leguntur: ,, Perniciosæ fuere scarlatinæ......................... quibusdam supervenit urinæ sanguineæ, exitiale symptoma, aliis é naribus hæmorragiæ, vel á venæ sectionis incisione. Ex his sanabantur illi, in quibus, vel tempus, vel mali gravitas, locum sufficienti plantarum nitrosarum, et cruciferarum usui concedebat (*r*). Cruciferæ itaque plantæ et in scorbuto, et putridis in typhis, vigente etiam sanguinis dissolutione, tutó præscribi poterunt.

78 Ex hucusque dictis facilé intelligi valet quantum excogitata scorbutum inter, et memoratos typhos analogia ad harum curationem prodesse poterit; sed stabilitas conjecturas practicis confirmatas observationibus desiderabit Regia Societas. Historias adducere possem duodecim saltem ægrorum typho laborantium, quibus successit feliciter cruciferarum plantarum succus,

---

(q) *Journ. de Med. tom.* 54. *pag.* 550.

(r) *Ibid. tom.* 65. *pag.* 493.

cus, á me præscriptus; veruntamen cum argumentum ex particularibus depromptum observationibus, id tantúm evincat, quod eo utens probare molitur; ut optimé animadvertit Voullone, huc non adtexam præfatas historias. Rei summam exhibere sat erit. Octo ex duodecim illis ægrotantibus in hujus urbis xenodochio, errantium pauperum hospitio dicato, febre nosocomica laborabant; eademque, contagio susceptâ, ægrotabant tres alii extra xenodochium residentes, et alius tandem febre putrida nosocomicam æmulante.

79 Omnibus adesse videbatur ægritudinis initio primarum viarum saburra, quam emeticis, vel emetico-catharticis, aut purgantibus tantúm expurgare curavi, præmissis, vel neglectis pro re nata sanguinis misionibus; has tamen institui parca manu, quotiescumque oportuerit celebrare.

80 Prædictos ægrotantes hæc affligebant symptomata; virium postratio, qua ita dejiciebatur eorundem unus, ut nequidem juscula labiis admovere posset; manuum tremor, tendinum subsultus, sopor, coma; petechiæ fere omnibus rubræ, quibusdam tantúm nigræ, et lividæ.

81 Igitur quotiescumque post generales evacuationes memoratas malum increscebat, symptomata intensiora fiebant, adeo ut ex depravatis primæ regionis succis haud oriri agnoscerem; quotiescumque pulsus obscurior inveniebatur, statim ad cruciferas herbas confugi.

82 Duo ex ægrotantibus coclеariæ expresso succo usi fuere; alius raphani rustici, seu coclearia armoracia à multis appellati; alii duo sinapi in aceto maceratii semine: sex Lepidii latifolii; ultimus tandem nasturtii aquatici succo. Varietas hæc inde exorta, quod coclearia apud nos utpote rarior, altiori venditur prætio, propterea ei substitui succum raphani, quem, quod eo parum abundet, mox rejeci, ad sinapi semen recurrens. Repetitis extra corpus factis experimentis depre-

hendi emulsivam hujus partem anti-septicam non esse, et dumtaxat in fugaci ejusdem stimulo hanc residere virtutem. Inveni etiam, temporis lapsu stimulum istum amitti, et semen rancescere; tunc autem etiamsi vellicante vi prǫditum videatur, hæc solum à rancida degeneratione, et non ab utili stimulo pendet. Aliunde Van Swietenius, et alii Auctores me docuerunt coclearię, aut aliarum plantarum spiritum solum adversus scorbutum parum valere, et ipsis viridibus, aut recentibus opus esse (*s*); idcirco cruciferas serió examinavi plantas, ut aliquam reperirem, quæ omnem adimpleret paginam, et tandem lepidium latifolium inveni, quod et succo turget, et vili híc prætio obtineri potest, cum facilé vegetet, et multum crescat. Hanc itaque plantam summé acrem, et amaram aliis cruciferis prætuli, et nasturtium aquaticum præscripsi hiemali dumtaxat tempore, in quo deficit illa recens, quæ forté satis efficax diu servari potest hac adhibita methodo. Integra lepidii folia mundata infundantur in aceto, et sic quemadmodum brassica serventur. Quoties oportuerit, contundantur in mortario, exprimatur succus, et cum aceto, spiritus illius rectore divite, misceantur, et saccharo, aut melle edulcoretur mixtura. A D. Gueret in suâ præmio donatâ Memoria (*t*), artem nunc noscimus rusticum exsiccandi raphanum, quin stimulus amittatur; qua quidem arte siccatus ille, in succo earum cruciferarum, quæ licet parum acres sint, nihilominus virides hieme persistunt, infusus, optimum etiam hoc tempore præstabit remedium. Cæterum ægrotantibus nusquam exhibui, dumtaxat tentaminibus extra corpus factis, quibus vim illius mixturæ antisepticam detexi, loquor.

Tre-

(s) *Histoir. et Memoir. de la Societ. Royal. de Medic. de Par. ann.* 1780, *et* 1781. *Essai sur le scorbut. pag.* 170.

(t) *Ibid. ann.* 1782, *et* 1783. *pag.* 433.

83 Trepidans experimenta tentare cæpi, tunc enim, quæ mihi aliquam lucem effundere possent, D. Goguelin scilicet aliquibus febricitantibus nasturtii aquatici succum præscripsisse ignorabam, neque legeram quæ articulo 27 et 33 primi Voluminis Actarum Societatis Danorum ad hunc propositum spectantia adducuntur (*x*); etenim articulo 27, traduntur observationes putridæ febris annorum 1779 et 1780, adversus quam corticem peruvianum inefficacem fuisse, semen veró sinapi pulveratum vim habuisse notatur. Articul. 33 describitur Historia epidemiæ biliosæ nervosæ putridæ, quæ anno 1781 in Regis navium classi, et in maritimo nosocomio grassabatur; adduntur observationes circa vim camphoræ majori, quam exhiberi solet dosi præscriptæ, et de interno seminis sinapi usu Auctore Mr. H-Callisen. Ego veró has doctrinas hausi ex opusculis mea post prima tentamina in lucem editis, hinc eis vix uti potui, dum tetradinamicarum plantarum vim antisepticam in viventi corpore experiri incipiebam. Quare in hujusmodi experimentis instituendis admodum cauté processi, Hipocratici moniti probé memor, experimentum in humano corpore periculosum esse, et celerem remedia exhibendi occasionem in morbis acutis. His equidem auscultans præceptis, inconsultum duxi febre putrida laborantium medelam prorsus commitere remedio, cujus vis erat exploranda, neglectis aliis, quorum efficaciam experientia annosa docuerat. Quapropter principio expressum coceleariæ succum cum anatica mellis, et aceti quantitate mixtum ægris exhibui; eo enim intendi debebant tentamina prima, ut detegeretur, num præfata auxilia tutó exhiberi possent febricitantibus, priusquam in eorum efficacia demonstranda allaboraretur.

Si

(x) *Journ. de Med. de Par. tom. 64. pag. 274. Danorum Acta nondum legere potui.*

Si res habita fuisset cum chronico morbo, breviori via incedere potuissem, explorans uno eodemque tentamine omnia, quæ repetitis agere debui; illorum enim morborum lentus progressus amplum satis locum concedit novorum remediorum administrationi, et ea, quorum omnino cognita est salutaris virtus, per aliquot dies omitti facile fert; in acutis autem eodem procedere modo, esset de corio humano ludere, et sæpe experimenta per mortes agere.

84 Primis itaque experimentis certus factus cruciferarum vegetabilium succum, et spiritus rectorem citra noxam in febribus memoratis assumi posse, mel, et acetum omissi, et saccharo vel solo, vel borraginis, aut aurantiorum dulcium succo maritato, nauseosum lepidei latifolii saporem occultavi. Hæc commixtio utilis erat; tum quia ejus ope variorum ægrotantium palato blandiri potest, quamplurimis namque valde displicet mel, nonnullis acetum; tum quia antiscorbutica aceti vis inferior multó est succorum ex plantis expressorum virtute, ut optimé advertit Lind (y). Similiter censeo interdum, dum nempe vitæ vires summé debiles reperiuntur, uti freqüenter in typhis accidit, præstantissimam fore miscelam vini cum lepidii latifolii succo. Sed inceptam ægrorum historiam prosequamur.

85 In decem itaque, ex duodecim, qui cruciferis plantis tractati fuere, post viginti quatuor horas, aut ad summum post quadraginta octo ab usu illorum incepto, signa non equivoca vidi putrefactionis emendatæ. Pulsus ante obscurus erigebatur, petechiæ, et symptomata evanescebant, et sanitas successit duobus, tribus, quatuor, aut quinque diebus, ita ut in eo-

---

(y) *Traité. sur le scorbut. tom. 1. pag. 272.*

eorum nullo febris undecimum ultra diem extensa fuerit. Sudarunt omnes, uno excepto, cui absque crisi morbus fuit omnino sublatus. Reliqui vero duo mortui fuere, postquam fausti eventus apparuissent manifesta indicia; etenim in horum altero petechiæ evanescebant, coma, debilitasque corrigebantur, lingua humectabatur, pulsus, et respiratio sat bené se habebant, ita ut mecum in consilium vocatus Medicus hora nona bene speraret de ægro, qui undecima defunctus erat. Hic ipse instante morte, quæ fere subitanea fuit, ichorosum expuerat sanguinem, quo turgida vomica, dissecto cadavere, in pulmone detecta fuit. Nulla aderant certa vomicæ signa, ejus suspicionem tantúm dare potuissent, quod genubus inflexus diu permanere haud poterat ęger, quin animi deliquio corriperetur, quod huic obnoxium sese credebat ipse, ni piperata comederet alimenta, quibus proinde abusus fuit. Horum omnium post ægri obitum mihi data fuit notitia. Ex his ergo liquet eum latente vomica potius, quam vi febris enecatum fuisse.

86 Alius, qui periit æger, fæmina fuit, cui nasturtii aquatici, et borraginis succum, deficientibus hiemali tempore aliis cruciferis herbis, præscripseram. Cum experimentis, in substantiis animalibus extra corpus factis, mihi innotesceret prædicti nasturtii succum, forsan quia nimis aquosus, haud multum antiputridum esse, ei parum fidi, imo veró camphoram, Kermes minerale, epispastica, et demum vesicantia in auxilium vocavi. Felicis exitus signa non defecerunt, adeo ut versus 14 diem febris expers fere inveniretur ægra; nilominus malum iterum in pejus ruit; et die 17 ægra vitam cum morte commutavit. Adverterat jam Eugalenus, quod nasturtium aquaticum in cænosis, et stagnantibus quibusdam aquis crescens, sicuti saporem ingratum, atque injucundum habet, ita etiam ineficax est; é contra peculiari adversus carum virtute ditatum esse, quod in limpidis, et fluentibus rivulis in-

invenitur (z). Profecto magnum inter assignatas nasturtii species adesse discrimen expertus assero; an veró paludosum, aut ex aquis currentibus fuerit prædictæ fæminę datum nasturtium detegere non potui.

87 Fatebor tamen prædictorum ægrotantium, qui tetradinamicas assumpsére plantas febrem non ita gravem fuisse, ut eis salutem regularibus remediis restituere desperarem, curationem tantúm non ita breví absolutam fuisse horum ope, ut (num. 85) notatum fuit, firmiter credo. Audax profecto facinus esset gravissimis in febribus, periculosioribus symptomatibus stipatis tentamina novis facere remediis, et usitata, quibus quandoque ægri sanantur, prorsus omittere. Aliunde forsan cruciferæ plantę gravia simptomata tantúm præcavere poterunt, etiamsi ipsa existentia tollere nequeant. Hæc sane remedia, quoniam largisimâ dosi, in primis morbi temporibus, exhiberi possunt, in præcavendis futuris stragibus potius, quam in curandis vim antecellere videntur remediorum, quę communiter usurpantur ad septicitatis emendationem; ista siquidem tutó nequeunt administrari febre ineunte, ea saltim dosi, qua vi antiseptica pollent. Hinc forte eorum antiscorbuticorum præstantiæ ratio potissima pendet, quam si adductis á num. 59 ad 77 argumentis, et nuper additis observationibus demonstravero, analogia scorbutum inter et typhos, circa quos versatur quœstio, ulterius evincetur, et quantum hujus affinitatis cognitio medendi methodo conferat, innotescet, atque sciscitantis Regiæ Parisiensis Medicinę Societatis votis satisfiet.

P. S.

(z) *Tractat. de scorbut. pag. mihi 67.*

P. S. Contagium, quod nosocomicas, carcerarias, aut navium febres sæpissimé comitatur, et deficit semper in scorbuto juxta Lind (*a*), ¿ stabilitam inter prædictos morbos analogiam destruet? At vero ægritudines putridæ contagiosæ communiter sunt; et nihilominus ex contagii defectu nil contra scorbuti putredinem arguitur, aut infertur; istius siquidem existentia, aut defectus ex volatilitate, aut fixitate humorum, in quibus putredo residet dependere valet, etiamsi in utroque casu ista affinis, aut eadem omnino sit; cæterum ne adhuc ex hoc capite quidquam contra probatam affinitatem concludatur, dicam, quod in opere D. Trotter super scorbuto, á me nuperrimé lecto, exempla inveniuntur, quibus contra D. Lind opinionem evincit Auctor morbum illum, ad ultimum gradum evectum, quandoque abs dubio esse contagiosum, quemadmodum etiam accidit in laudatis febribus, quæ dumtaxat, quando summé perniciosæ sunt, contagio propagantur (*b*). Harum cum scorbuto analogiam aliquibus, quæ circa putrefactionem reperiuntur in eximio D. Fourcroy de Historia naturali, et chæmia opere, et in observationibus clinicis á D. Nicolao Chambon de Monteaux in Nosocomio *la salpetriere* factis, rursus probare possem. Sané quó plura lego, plús præclarissimorum scriptorum auctoritatibus rem confirmatam invenio, cæterum ne ad pompam magis, quam ad argumentum illustrandum libros laudare videar, operi finem prædictis imponere decrevi. Dicam dumtaxat, me neglexisse, quod diarrhæa, sudorque, quæ suo tempore prædictis typhis proficua sunt, scorbuto pariter opitulantur, attestantibus Lind, et Goguelin, etiamsi sępé absque evacuationibus sensibilibus corrigatur.

(a) *Traité cit. tom.* 1. *pag.* 102.
(b) *Observat. on the scurvi pag.* 40. *Sect.* 1.

JUGEMENT

De la Societe Royale de Medecine de Paris en 1792.

La Societé a proposé dans la séance publique du 31 août 1790, pour sujet d'un prix de la valeur de 550 livres, la question suivante:

Y a-t-il quelque analogie entre le scorbut et les fievres de prison de Pringle, *les lentes nerveuses d'* Huxham, *ou celles des vaisseaux décrites par d' autres auteurs et de quelle utilité cette recherche peut-elle être pour le traitement de ces diferentes especes de maladies?*

La question n'a pas été bien comprise, et ceux qui en ont le plus approché ne l'ont pas suffisamment approfondie. La Compagnie a cependant trouvé quelques vues utiles dans le Mémoire coté Num. I, avec cette épigraphe: *Statim apparet hos (morbos) varietate quidem infinitos ratione symptomatum, tamen ex origine non adeò composita pendere, &c.* Boerhaave, aphor. 1056.

Lorsque l'on compare avec attention, le scorbut et les fievres malignes, ou lentes nerveuses, on est, au premier coup-d'œil, porté à croire que ces deux maladies n'en composent qu'une seule, sous deux formes différentes; que la fiévre maligne, sans le caractére aigu et fébrile qui la distingue, ne seroit que le scorbut, et que le scorbut en y joignant pour complication, une fiévre aiguë, ne pourroit être distingué de la fievre maligne; de sorte que celle-ci paroît être aux maladies aiguës, ce que le scorbut est aux maladies chroniques, l'une et l'autre étant l'effet de la dissolution putride du sang, laquelle a, dans les deux cas, une marche qui lui est propre. Nous rendrons plus vraisemblable encore ce que nous avons dit de l'identité,

au

au moins apparente, de ces deux genres de maladies, en ajoutant que des auteurs trés-recommandables les ont confondues sous la même denomination, les uns appelant les fiévres malignes pestilentieles, *un scorbut épidémique contagieux et populaire*; et les autres nommant le scorbut, *la peste des marins*. Remarquons encore que ces deux affections sont acompagnées l'une et l'autre du même genre d' éruption; savoir, des pétéchies ou taches pourprées dont les éruptions inflammatoires différent essentiellement par l' espéce de saillie qu'elles font au-dessus de la peau. Qu'on ne perde pas de vue enfin que la fiévre lente nerveuse est la maladie aiguë oú il y a moins de fievre, et que le scorbut, sur-tout lorsqu'il est putride, est celle des maladies chroniques, où la fievre prend le plus d'intensité, et se rapproche davantage des fiévres malignes et pestilentieles.

Cette discussion conduira à l'une des plus grandes questions de la médecine-pratique; savoir en quoi consiste le caractere aigu ou chronique des maladies.

Ces reflexions guideront les concurrens dans les reponses qu'ils feront à la question deja proposée, et que nous anonçons pour la derniere fois.

Ce prix de la valeur de 600 livres sera distribué dans la Séance publique de la fête de S. Louis 1793, et les Mémoires seront envoyés avant le premier mai de la même année. Ce terme est de rigueur.

ADDITAMENTUM

TENTAMINI DE SCORBUTI,

Et Quarumdam Febrium Analogia,

Misso sub lemmate dessumpto ex aphorismis Boerhaave de cognoscen. et curand. morb. *Statim apparet hos* (morbos) *varietate quidem infinitos, &c.* pro Programmate super hanc quæstionem á Regia Societate Medica Parisiensi proposito.

Cum noverim ingenii mei tenuitatem, nullatenus dubitavi, quod supradictum meum tentamen Dissertationibus de hac re, á doctioribus Medicis elaboratis, palmam cederet. Veruntamen, deficientibus istis, ob rationes ab istâ Societate allatas (*a*); coronam mihi denegatam fuisse, propter causas ibi recensitas, miratus fui. Vereor illud Horatii mihi accidisse: *brevis esse laboro, obscurus fio.* Profectó brevitati studui, quia sapientibus loqui sciebam, unde rem insinuasse sat esse judicabam. Meum itaque nunc esse puto demonstrare in laudato meo tentamine sat probatam esse analogiam inter scorbutum, et recensitas febres, et quid ad praxim illius analogiæ cognitio conferat; quæ duo sunt Programmatis quæsita.

Quicumque serió meditetur super morbos ab omnibus pro analogis habitos, fatebitur, ob id esse tales,

(a) *Prix distribues et proposes en 1792 pag. 1.*

les, quia illis dotibus gaudent, quas (num. 1) mei tentaminis signavi. Profectó inclitus Stoll affinitatem inter castrensem dissenteriam, et rheumatismum ex eo deducit, quod et in causis, et symptomatibus sat similes videntur, eosdem fere effectus in ægrorum corporibus producunt, et eorum alter in alterum convertitur facilé, et cum morbos in eâdem constitutione vigentes, ab eâdem causâ productos crederet, seqüentia notatu digna addit. ,, Nam illi morbi, qui pari freqüentiâ, eâdem tempestate grassantur, et suam in humano corpore, veluti conregentes unitis viribus exercent, ejusdem familiæ surculos se esse, et idem ingenium testantur (*b*)". Igitur si in meo tentamine sufficienter probatum manet, scorbutum, et assignatas febres illis dotibus instructas esse, prime hujus parti completé satisfeci. Jam veró á num. 8 ad 16 illius tentaminis totus fui in probando scorbutum, et eas febres non esse ægritudines inter se oppositas, et testimoniis auctorum, id comprobantium, laudatum Stoll addere licet, qui, de scorbuto agens, testatur, sæpissimé complicari cum febre putrida, quæ omnium pessima est complicatio (*c*), febres autem, de quibus instituitur quæstio, ex putridarum familiâ esse nemo nescit. Ulterius progressus fui num. 17, demonstrans prædictos morbos habere eandem patriam, aëremque vitiatum, seu corruptum esse eorum causam communem, plurima symptomata in utrisque reperiri eadem; quod si de convulsionibus in typhis frequentibus superesset dubium, testimonio D. Goguelin ibi adducto, aliud addam D. Boucher, qui scorbuticum virus epilepsiam produxisse vidit, et D. Lind, qui

(b) *Rat. medend. tom. 3. pag. 88. edit. Versallii ann.* 1780.

(c) *Prælect. in morb. chronic. tom. 1. pag. 5.*

qui ab eâdem causa singultum natum observavit (*d*). Tandem in numero 19 prædictos morbos eodem modo sanguinem vitiare ostendi. Auctorum loca, quibus mea asserta fulciuntur consultó ibi non adduxi, quia oportuisset feré integra capita transcribere, et cum illi primi subsellii scriptores sint, Censoribus notissimos judicavi, unde eorum loca indicasse sat esse credidi.

Demonstratâ jam quæsitâ illarum ægritudinum cognatione, objectionibus contra hanc, quas prævidi, satisfeci. Prima desumebatur ex diversitate, quæ supponi debet inter morbum chronicum, qualis scorbutus creditur, et acutum, in cujus classe collocantur febres illæ: hæc autem diversitas contra prædictam affinitatem militare videtur. Cęterum scorbutum quandoque morbis acutis, pariter ac adductæ febres, adnumerandum esse á num. 19 ad 22 demonstrare contendi. Bis laudatus Stoll illius divisiones enumerans, inquit: Divisio est in acutum, qui celeres progressus facit ut apyretos sit: In chronicum, qualis plerumque esse solet (*e*)"; exemplis autem id extra omnem dubii aleam ponentibus, in numeris citatis adductis, nuperrimum addere valeo ex D. Fourcroy opere periodico, omni laude digno, eductum (*f*), in quo historia reperitur hominis, á triginta diebus ictero laborantis, qui repente alvi fluxu cadaveroso, feré nigro, urinis similibus, cum sedimento sanguinem semidissolutum æmulante, hæmorragiâ incoërcibili, ex dente morali superiori, gingivis fungosis, et petechiis, aut vivicibus lividis correptus fuit. His symptomatibus septem diebus periit absque febre, sine ingenti debilita-

---

(d) *Videat.* D. Baumes *Des convulsions dans l' enfance chap. 6. sect. 4. pag.* 211. *et chap.* 4. *Second. Part. pag.* 353.

(e) *Loc. ultim. citat. pag.* 8.

(f) *Medécin. eclairée, &c. tom.* 4. *pag.* 188.

litate, et quin viscera, aut nervi lęsionem passa fuerint. Ergo eadem acrimonia, quæ ut plurimúm morbum producit chronicum, quandoque ipsum procreat acutum; ideoque hæc diversitas non pendet á diversitate causæ materialis, sed ex diverso ejusdem modo lædendi, qui numquam stabilitam affinitatem destruere poterit. Hinc Dazille testatur se observasse, quod sub aëre calido, et humido navium, scorbutus celeriter progreditur in Nigris, et primum se hoc typis mandasse gloriatur (g); contra in eximio opere D. Chambon de Montaux de typhis, quod nimis seró ad me pervenisse doleo, de febre maligná lentá seu chronica agitur (*h*): unde ex hoc capite malé adversus stabilem affinitatem inter adductos morbos arguitur.

Secunda objectio, cui respondi num. 24. desumebatur ex defectu lęsionis oris, et gingivarum, signo pathognomonico scorbuti credito; verûm præter ibi dicta, en quæ reperiuntur in Stoll febris lentæ nervosæ ab ipso observatę symptomata referente (*i*): „Fauces quibusdam intensius rubebant absque tumore plerumque, dolebantque, cum deglutirent. Labia, et omnem internam oris superficiem pustulæ miliformes occuparunt, quę paulo post subsederant in minutula, cinereaque ulcuscula commutatæ. Has, ne ulterius serpant, collutoriis subadstringentibus, austeris, et antisepticis cohibebamus". Unde laudatum scorbuti symptoma in febre lenta nervosa non deficit semper.

Profectó quicumque attenté legat mei tentaminis numeros signatos, et comparet cum explicatione Programmatis á Regia Societate publici juris facta Februa-

(g) *Observat. sur les malad. des negr. tom.* 1. *pag.* 96. *et sur les clim. chaud. in præfat. pag.* 15.

(h) *Tom.* 1. *pag.* 261.

(i) *Rat. medend. tom.* 2. *pag.* 26.

bruario anni 1792 fatebitur, hanc nil nisi illorum compendium esse, unde ex illorum numero me non esse credo, qui quæstionem non intellexerunt (*La question n' a pas etè bien comprise* scribitur). Præterea notatum volo me jam animadvertisse numero 7: omnem scorbutum putridum esse, et quod si quis rixas moveret supra commentitiam scorbuti divisionem in acidum, et alcalinum, non obstantibus irrefragabilibus Lind, aliorumque argumentis, contra eam, quæ ibi dixi, ut á quæstionibus, ab aliis sat tractatis, expediar, hic repeto, nempe programma loqui solúm de scorbuto putrido; sed testante Regia Societate illi superveniens febris, summé aproximatur malignis, aut pestilentialibus, ut jam notaveram num. 22 versus finem, testimonio D. Colombier suffultus: ergo laudatâ Societatis explicatione nil nisi mea asserta confirmari credendum. Post hoc non facile concipitur, quâ ratione scriptum fuit: questionem non esse sufficienter discussam (*et ceux, qui en ont le plus aproché ne l' ont pas suffisement approfondie*). Dicetur fortasse hoc, quia Medicinæ practicæ questionem de morborum caractere acuto, ac chronico non tractavi (*cette discussion, inquit Regia Societas, conduira á l' une des plus grandes questions de Médecine practique; savoir en quoi consiste le caractere aigu ou chronique des maladies*). Ceterum si præ oculis habebam que ipsa Societas scripsit Augusto anni 1790 dum Programma publicavit, quomodo in illam questionem descendere poteram? Advertit namque fortassé votis non satisfecisse illos, qui de programmate ab ipsa anno 1783 proposito (*existit scorbutus acutus*) tractarunt; quia questio nimis extensa est, unde perillustris Societas decrevit ipsam limitare. Judicandum igitur nil aliud á certantibus exoptasse, nisi illa, quæ directé ad quæstionem enodandam collimant.

Verumtamen concedatur predictam questionem tractare me debuisse. Forsan, quo tractanda esset, mo-

modo de illa non egi? Profecto illá propositione *cette discussion conduira a l'une &c.* nullatenus perdoctissima Academia, ea, quæ sonant ex vi vocum, intelligit, etenim cum lippis, et barbitonsoribus notum sit morbos acutos esse illos, qui celeriter sua tempora percurrunt, et chronicos, qui lento gressu; omnes sciunt charactérem ægritudinum acutum in celeritate, chronicum in diuturnitate earum consistere; ideoque hęc non est magna Medicinę practicæ quæstio, ut asserit Societas. Cum autem unde laudata diuturnitas, aut celeritas cursus morborum proveniat res sit maximi momenti, hujusmodi inquisitionem appellasse magnam Medicinę practicæ quæstionem judicandum. Jam veró in numeris 23, et 24 auctoritatibus perdoctiorum clinicorum demonstravi acrimoniam scorbuticam posse aut scorbutum chronicum, aut febres malignas producere, juxta diversitatem partium, quas primó offendit, juxta repentinum, aut insensibilem modum, quo in corpore aggeritur, aut introducitur, juxta majorem, aut minorem ipsius acrimoniæ intensitatem, ac tandem juxta distinctas subjectorum dispositiones. Exemplis practicis, ab aliis morbis deductis, rem evici, quibus addere nunc possum aliud ex carbunculo depromptum, quod quando effectus est morsus venefici animalis, celeriter ægrum enecat, contra vero lenté progreditur, quando á miasmatibus corpus per alias vias inficientibus excitatur. Differentiam hanc optimé Burel in littera ad D. Fourcroy (*k*) deducit ex eo, quod sic lenté aggeritur in corpore, quod sensim illi veneno familiare redditur, et etiam quia secundo modo virus supra partem nervosam immediate deponitur, ipsamque offendit, priusquam aliis humoribus inviscari, et obtundi valeat. Ulterius hæc res confirmatur altero exemplo de quo loquitur D. Baumes,

I dum

(k) *Medécin. eclairé volum. 3. pag. 16.*

dum dicit. Hidrocephalus internus cerebri ventriculorum hidrops est, qui citiús, aut tardiús procreari valet, hinc duplex hidrocephalus nempe acutus, et chronicus. In hoc convulsiones raró, et non nisi in ultima periodo ad mortem properante adveniunt, quemadmodum convulsionibus symptomaticis accidit, cæterum in hidrocephalo acuto convulsiones feré inseparabiles sunt primorum morbi effectuum; quod arguit organorum functiones subsistere posse cum gravi nervorum læsione, quotiescumque hæc lenté fit; licet functiones hæ destructę fuissent simili læsione, repenté factâ (*l*). Potuissem equidem integra folia impendere in explicandis diversis effectibus corpori resultantibus, ex laudatis differentiis. Quid namque dicere non potuissem de nervorum sensibilitate, et de variis rebus summé noxiis, quibus familiare redditur corpus, quando sensim ipsis accomodari potest. Sed ego Medicæ Societati Parisiensi loquebar, cujus præclarissimos Socios non adeo curis vacuos judicare debeo, ut in phisiologicis discussionibus legendis oleum, et operam perdere debeant. Ne in publica damna peccassem, si diutius eorum tempora moratus fuissem, malui principia indicare, ex quibus illarum ægritudinum acuties, aut diuturnitas provenire valet, quam phisiologicé de his loquendo, troyanum bellum ex ovis ledæ repetere, ut dici solet. Igitur laudata quæstio, qua methodo tractanda erat, explanata á me fuit.

Ex laudatis differentiis rationem deduxi num. 25 diversitatis symptomatum, quibus hi morbi stipantur, etsi analogi sint. Ibique alteri objectioni satisfeci, ex distinctis partibus in ipsis læsis. Silentio ex professo pressi alteram objectionem, quam refutatam his cre-

didi,

(l) *Des convulsions dans l' enfance chap. 7. sec. 2. pag.* 285.

didi, quæ num. 57 dixi. Sed cum Regia Societas novas exoptet disquisitiones, nunc de ea agam. Dicent itaque: cortex peruvianus, qui febribus malignis medetur, teste Antonio de Haen (*m*), scorbutum procreat observante Sydenhamo (*n*): ergo nulla inter hos morbos cognatio reperitur. Si certus non essem Archiatrum Viennensem, non ita decepisse Parisienses Medicos, ac aliorum Regnorum, qui alexiteriam virtutem in illo cortice credunt, paulisper immorarer in demonstrando, quam parum hac in re probent observationes illius Medici, et quam jure merito Lieutaud olim hujusce Societatis Præses dixerit (*o*): „Injurius sané forem erga laudatum Auctorem, si morborum historias, quas candidâ fide tradidit, in dubium revocarem; sed num faustus eventus post exhibitum, stupendá dosi, corticem peruvianum, inter vigentem febrim malignam, hujusce presidio potius, quam aliis remediis, vel nature viribus referri debeat, jure, ni fallor, ambigitur (*)". Præterquamquod ob

 eas-

(m) *Rat. medend. tom.* 1. *pars* 3. *cap.* 1. *pag.* 241. *edit. Paris.*

(n) *Sect.* 6. *cap.* 5. *pag.* 351.

(o) *Synops. univ. prax. Medic. tom.* 1. *pag.* 27. *secund. edition.*

(*) Piquerius *legerat dumtaxat duo, aut tria volumina Rat. Med.* Antonii de Haen *cum scripsit*: „*familiare est huic Auctori aliás commendando suas curationes, et formulas remediorum intemperanter extollere* (*Prax. medic. tom.* 2. *pag.* 6.)". *Hæc censura* Piquerii *me attenté, cautéque opera* Haen *legentem induxit; et anno* 1783 *occasione epidemiæ febrilis, quæ veré in hac urbe grassabatur, in Academia Medica nonnulla disserui super caput de Morbis malignis Part.* 3 *Rat. Medend. laudati Auctoris. Tunc ostendi: deffinitionem malignitatis ab eo amplexam erroneam esse, et infinitis malis patrandis ansam præbere: in ægro-*

rum

easdem causas, propter quas cortex peruvianus, præmis-

rum historiis, ab ipso ad vim Kinæ alexiteriam probandam adductis, multa desiderari necessaria, ut juditium ferri possit, num hic cortex quidquam in illorum curatione egerit: confundisse Haen *putridas febres cum phlogisticis, illisque harum remedia intempestivé adhibuisse: hinc subortam esse et dissolutionem, et malignitatem artificialem, quibus mederi potuit Kina sua adstringente, et roborante vi, quin ipsi adsit desiderata virtus antimaligna. Ab illo tempore usque nunc, et quæ in praxi vidi, et quos evolvi Auctores non admodum credulos supradictam meam opinionem confirmarunt; et non sine peculiari gaudio inveni plurima loca in operibus* Stoll, *curationum* Haen *autoptæ testis, quibus meum de his juditium fulciri potest, præsertim in tom.* 1. *Rat. Medend. pag.* 29. *et sequ. et tom.* 2. *pag.* 15. *et* 134. Forsan *aliquando supradictas meas elucubrationes typis mandabo, ut incauti ab errore revocentur; interim ab ipsis exopto, ut seqüentia advertant. Quotiescumque in febribus intermittentibus, vel remittentibus Kina præscribitur ægrotantibus bené præparatis, vel incantamenti instar, quæ aliás subsecutura fuisset accessio deficit, vel adminús levior est, vel si intensior, ut quandoque, raro tamen, accidit, exinde tamen adeo sensibiliter imminuitur febris, ut dumtaxat qui meridie cæcutire velint, possint non agnoscere illius corticis supra eas febres dominium. Non ita evenit in continuis putridis simplicibus, aut malignis, seu in illis in quibus desunt, vel obscuræ sunt remissiones; in his namque dato cortice, ægris rité dispositis, á die sexto ad undecimum, febris ad decimum quartum, et ultra perdurat, symptomata funesta adveniunt, vel increscunt; quemadmodum accidisset Kinâ neglectâ, ut adverti num.* 54, *et videre poterit quicumque comparet prædictos ægrotantes cum illis eorum Auctorum, in quorum temporibus cortex is non præscribebatur pro talibus febribus. Si his non obstantibus adferret aliquis quosdam ægros, qui febre continuâ labo-*

missis premittendis, in typhis prodest, prodest in scorbuto ad eum statum devecto, in quo sanguinis dissolutio patula est, ut neminem hodie fugit. Profectó SYDENHAMUS erravit, dum corticem peruvianum scorbuti causam judicavit, observante STOLL, qui asserit: ,,Id adhuc præcedentibus addo, egrum intempestivâ corticis peruviani exhibitione curatum, ut á febre libe-

---

laborantes, ad orci fauces pervenére, ab eis evasisse assumptis duodecim, quindecim, et ultra Kinæ unciis; responsum non dabo; nam quod tantâ corticis dosi effici non potuit, ut adeo graves ærumnas passi non fuerint, convincens argumentum inefficaciæ illius remedii cordatis Medicis erit. Idcircò D. VOULLONE *in sua supra verum febris intermittentis caracterem, et febrifugi in ea usum Dissertatione ab Academia Divonensi anno* 1782 *præmio insignitâ rotundé asserit: nil contra febrem continuam valere Kinam* (*pag.* 82.) *Idipsum testatur, et probat* D. BAUMES *in Dissertatione de corticis peruviani adversus febres remittentes usu, á Regia Parisiensi Medica Societate coronatâ ann.* 1785 (*pag.* 217.) *Objicient alii Kinam optimum antisepticum esse, adeoque incomparabile pro putridis febribus, etsi continuis, remedium. Cæterum ¿scorbutus nonné ægritudo putrida est? ¿Curatur autem sæpius Kinâ, vel succo vegetabilium recentium? ¿Cum ulceribus putridis, gangrenosisque, vegetabilibus recentibus oppugnatis, et illi cortici resistentibus, de quibus num.* 46 *loquutus fui, non ne idem fieri potest argumentum? Extollant nunc quantum velint vim Kinæ antisepticam supra alia certiora antiputrida. Tales immodicæ laudes assertum confirmabunt* D. HORNE, *qui in suo Diario Medicinæ Militaris tom.* 3. *pag.* 356. *plaudente* D. BAUMES, *scripsit: Kinæ abusus in febribus, et exorbitantes ipsius doses sunt deliramentum sæculi decimi octavi collabentis, quod adminus non est reticendum.* Quamvis hæc omittere oportunum crediderim, ad Parisienses Medicos loquens, nunc addere utile judicavi.

liberum, chronicis tamen artuum doloribus, eoque morbo vexari, quem Sydenhamus rheumatismum scorbuticum appellavit, quemve ex nimis diuturno corticis hujus usu provenire arbitrabatur. Verúm non cortex, sed usus ejus præmaturus ante requisitam materiæ febrilis coctionem, et evacuationem hosce rheumaticos dolores genuit (*p*)". Unde, quocumque modo objectio illa contempletur, corruit, et stabilita analogia inter scorbutum, et Programmatis typhos subsistit.

Sané hanc ulterius confirmavi ex cognatione remediorum, quibus evici utrosque illos morbos curari, et præceptis ab aliis deductis, et methodo á me excogitatâ, exemplisque confirmatâ; quę omnia secundam meæ Dissertationis partem componunt, secundæ Programmatis parti enodandæ dicatam. Fortasse in hac secunda parte reperiuntur ideæ illæ utiles, quas Regia Societas in mea Dissertatione inveniri dixit (*La compagnie a cependant trouvé quelques vues utiles dans le Memoire, &c.*). Cum autem de prædicta secundæ Programmatis parte altum ipsa fecerit silentium, credere possem ipsam sat discussam invenisse; nihilominus quędam super his addam, quę ulteriores investigationes me docuerunt. In num. 32 emollientium usum in febribus putridis damnaveram ob rationes ibi expositas. Mecum hac in re consentientem invenio Dazille, qui in suo de Nigrorum morbis tractatu horum ptisanam reprobat in febribus prędictis, utpoté emollientem quód vis emolliens his oppugnandis parum apta videatur, cum eadem nequeat pręcavere, licet alimentorum auxilio corpori inferatur; est etenim ex emollientibus magnâ ex parte conflatus, qui ipsis offertur victus (*q*).

In numero 37 statueram evacuantia citra noxam quandoque omitti posse in febribus nosocomicis, et aliis

(p) *Rat. Medend. tom.* 1. *pag.* 67.
(q) *Chap.* 1. *pag.* 44.

aliis putridis, et curationem per succos antiscorbuticos aggredi, quia primæ viæ lęsę haud sunt; hujusce speciei febrem vidisse testatur Stoll dum dicit: „ Hanc febrim exanthematicam dicebamus *putridam sanguineam*, ut eam distingueremus á *putrida saburrali*, qualem sordes putridæ, é sistemate gastrico in sanguinem attractę, solent generare: in nostra veró *putridâ sanguineâ* vitium in sistemate sanguifiero *primarió* natum videbatur (*r*). Et præclarus Chambon in suo de febribus malignis tractatu fusé docet: sæpe in eis emeticis, et purgantibus abusum fieri, etenim dumtaxat sub quibusdam circunstantiis proficua illis sunt (*s*). Húc etiam accedit suffragium D. Quarinii; enim in suo de febribus tractatu (*t*) adducit speciem hujusmodi febris ex fomite putrido, mox in humorum massam delato, ortę, quam periculosissimam, subitóque malignam fieri asserit: ubi hanc febrem non stipatur materies in ventriculo putrescens, á purgantibus abstinendum monet, eaque propinare pessimum errorem fore, potius quam antiseptica ex acidis mineralibus, et cortice ad usum vocare perhibet. Igitur materialis febrium nosocomicarum causa quandoque evacuantibus non est oppugnanda, sed alterantibus corrigenda, ut num. 39 dixi. Rationibus, quibus hoc assertum propugnavi addere juvat, quod quandoque graves pulmonum inflamationes, post novem, aut decem dies, absque manifesta evacuatione tutó, et perfecté solvuntur teste Stoll (*x*); nihil mirum itaque, quod febre putridâ, imo et typho laborantibus eadem felicitas aliquando obtingat. Hujusmodi exemplum adducit supra citatus Chambon, qui ex professo de febribus malignis acrisiis,

(r) *Rat. Medendi. tom. 3. pag. 76.*
(s) *Tom. 2. Chap. 11. art. 10. et 11.*
(t) *Cap. de febrib. putrid. pag. 74. et 75.*
(x) *Rat. Medend. tom. 1. pag. 14.*

siis, peculiari parrafo egit, et circunstantias exposuit, in quibus felix typhorum terminatio absque evacuatione sensibili expectari potest (*y*). Alibi de febribus remittentibus malignis loquens, et inquirens quâ de causâ humoris critici pauca copia existere videtur in eis, quæ Kinâ sanatæ fuere, hoc ex eo nasci autumat, quod á fermenti febrilis virulentia, et non á quantitate strages proveniant, et cum subitó in sistema nervosum suam tirannidem exerceat, sanguis inquinatus non fuerit (z). Igitur si in typhis statim remedia exhibentur, quæ putrefactioni adversantur, evacuationes in fine necessariæ haud erunt, quemadmodum in remittentibus Kinâ oppugnatis accidit. Ad correctionem illam parum plantarum decoctis fidendum in num. 40 et 55 variis experimentis stabilivi. Illorum inutilitatem, seu ineficatiam expertus fuerat Sarcome, ut testatur in sua de Neapolitanensi epidemia anni 1764 historia (*a*): ideoque quæ de succorum supra decocta præstantia dixi, confirmata reperiuntur; et profectó si maligna febris est incipiens gangrena, quæ solo gradu differt á putrido universali, teste Stoll (*b*), et in hoc conveniunt succi, ut fusé num. 42 demonstravi: typhis opitulabuntur etiam, dummodo quantitate, et methodo num. 40 et seqüentibus signatis exhibeantur. Duas, aut tres addere possem earum febrium historias, ad illorum succorum utilitatem confirmandam, sed ob rationes num. 50 et 78 allatas supervacaneas has credo.

In num. 54 ad *desiderata medica* retuli remedium, quo citiús, tutiúsque typhis mederetur, quam radicibus angelicę, aliorumque vegetabilium, quę alexipharmaca

---

(y) *Tom.* 1. *Chap.* 10. §. 34. *pag.* 367. *et sequ.*
(z) *Tom.* 3. *Chap.* 5. *pag.* 381.
(a) *Part. Secund. num.* 480. *pag.* 366.
(b) *Rat. Medend. tom.* 4. *pag.* 348.

maca vocant, Camphorâ, Kinâ, et aliis remediis; de quorum ineficacia conquæruntur AA. quos ibidem laudavi, vel quód ex se tales sint, vel quia ob contraindicantia nequeant, ut oportebat, adhiberi subitó. Illorum testimonia confirmare placet Stoll auctoritate, sic enim loquitur: „ Camphora putredini potenter resistit, si ea ab *inerti humorum motu*, aut potius ab eorumdem stasi, et ab inopia eorum provenit. At si putredo á nimium aucto humorum motu proveniat, adeo tunc camphora non præpedit, ut etiam insigniter promoveat gangrenam (*c*) "; et alibi de remediis anti-malignis agens, hæc profert: „ Lenta, miniméque tumultuosa festinatio multis salutem attulit, quos tumultuosa agendi ratio, et camphora, et serpentaria virginiana, aliaque stimulantia, et alexipharmaca pessumdedissent (*d*) ". Iisdem fere verbis loquitur Chambon: „ Serpentaria virginiana, inquit, contrayerva, angelica, et alia celebrantur, tamquam optima pro febre malignâ remedia, plantæ hæ, ut prudenter monent Londinenses Medici in sua pharmacopea sunt acerrimæ; earum effectus est summe violentus; sine magna prudentia adhiberi nequeunt. Communiter æconomiæ animalis tumultus augent (*e*) ". Præterquam quod quę initio hujus capitis adducit, de incertitudine medicaminum pro febre maligna propositorum, et de necessitate in ipsa ulterius inquirendi, optimé quadrant cum his, quæ in num. 54 stabilita reliqui.

Quæ de efficacia coclearię adversus bilem putridam in num. 63 adduxi, plurimúm valent, etenim humor iste nedum in omnibus putridis corrumpi solet, sed et corruptus malignos morbos producit, ut docet

K Stoll.

(c) *Ibid. Hist.* 20. *pag.* 212.
(d) *Ibid. tom.* 2. *pag.* 138.
(e) *Tom.* 2. *Chap.* 11. *art.* 14. *pag.* 193.

Stoll. Peculiaribus febrium observationibus, in fine mei Tentaminis adductis, pro cruciferarum plantarum adversus illas virtute demonstrandâ, addere placet binas typhi, quas egi elapso Februario in hujusce civitatis Hospitio. En primæ summam: morbus ingrediebatur sub larva febris constitutionis catharralis, tunc vigentis, sed post quartum diem suam perniciem ęgrotantis lassitudine summâ demonstravit; cum et emetico-carthartico, et purgante suavi primas vias expurgavi, aurantiorum dulcium succi lib. j. ff. cum duobus tartari stibiati granis, 24 horis insumendam, pręscripsi. Hoc nil proficiente, nasturtii aquatici succum addidi; et malo adhuc non cedente, feré libram succi lepidii latifolii cum anatica aurantiorum quantitate intra easdem horas exhibui. Duobus, aut tribus diebus ab usu hujus mixturę, æger absque nulla evacuatione sensibili perfecté convaluit, circa undecimum febris diem. Id notandum, quod post purgans adhibitum die morbi tertio, aut quarto, æger alvum non deposuit, imó et enemata maxima parte retinuerat. Morbo soluto excrementa figurata, et naturalia rejecit. Est altera ægri, qui eodem tempore, et morbo laboravit, sed remedia respuebat, aut non nisi magnis adstantium conatibus accipiebat; defuit lepidium latifolium, quod supleri curavi raphani rustici radice contusâ, et in succo aurantiorum infusâ per aliquot horas, et dein fortiter expressâ: 24 horis uncias duas illius radicis, et decem et octo succi aurantiorum insumebat. Diutiús, et graviús primo ægrotavit, sed tandem versus 14 morbi diem sudore, et alvi fluxu á febre liberatus fuit. Igitur si hæ observationes his addantur, de quibus mentionem feci á num. 78 ad 87 mei Tentaminis, tutó in typhis prędictis usurpari posse succum, ex plantis cruciferis expressum, ut res certa, imo et cum emolumento eum sumi posse, ut res probabilis demonstrabitur. Cum antecedentes rationes id ipsum comprobent, analogia inter eos, et scorbutum ulteriús evincitur, et quid ad praxim

xim medicam illius analogiæ cognitio faciat explicatum manet, quæ duæ sunt quæstionis partes, á Regia Societate Medica Parisiensi propositæ.

Hęc sunt, quę ad quæstionem de analogia inter scorbutum, et febres putridas dissolvendam elucubraveram. His nonnulla pro coronide jungere mihi liceat, quibus quantum castrensi febre in hujus Provinciæ tractu laborantium saluti conferre poterit hæc Dissertatio, dilucidius pateat. In hunc scopum utilissima erit causarum, ex quibus deduci potest hujusce castrensis morbi adeo deleteria vis, attenta contemplatio; in his ergo paulisper perpendendis immoremur, et duas, quæ in rem agere verosimillimum est, serió attendamus.

Harum prima esse videtur, quod in eisdem paludosis locis, in quibus orta fuit præfata febris, ad ejus medelam instituta nosocomia erigere opus fuit. Quantum vero id nocére potuerit, edocet D. Baumes suâ super vim noxiam cænosorum locorum Dissertatione á Societate Medica Parisiensi præmio donatâ anno 1789. Ibi enim humorum, et febrium degenerationem maximam fieri asserit, ex illis locis exalante vapore suscepto, remque confirmat exemplo xenodochii in Jamaica ab Anglis erecto, et omnibus, quæ illud aptum, et utile efficere potuerunt, dotibus probé instructo. Hoc enim deserere coegerunt ex vicino palude emanantia efluvia, quæ malignitatem impertiebantur, vel benignioribus, et simplicioribus febribus (*a*). ¿ At veró quænam est ejusmodi malignitatem inducens humorum degeneratio ? Laudatus Baumes, postquam testatus fuerit sapientissimos viros instar scorbuti considerasse malignas febres, huic opinioni adhærere videtur, valde similem esse, et ab acri scorbuto, et á paludosis efluviis humoribus illatam labem;

(a) *Pag.* 134.

addit etiam ab ejusmodi miasmatibus inductas febres tanquam proprio caractere, humorum depravatione in scorbutum abeunte notari. Demum asserit scorbutum, et á cænosis locis enatam morbosam constitutionem tam multis relationibus invicem assimilari, ut utrique malo eadem prophilaxis adhiberi possit (*b*). Quamobrem vix fieri potest, ut in febribus nostris castrensibus aliquid emolumenti non afferant á me in adducta Dissertatione proposita medicamenta.

Alia nostre febris vis deleteriæ, mortiferæque causa etiam derivari potest ex ejus compositâ, et complicatâ natura. Advertit Cullen (*c*) paludum efluvia febres, vel remittentes, vel intermittentes progignere, substantiarum autem animalium corruptarum continuas. At veró ¿quis dubitat illius speciei miasmata nostros milites afecisse, cum in locis eis refertis castra ponere opus fuerit? Et quis etiam in suspicionem non incidet ad hujus febris sævitiem producendam suum symbolum contulisse secundi generis, seu naturæ animalis efluvia? Id sané haud aliter accidere posse videtur in nosocomiis, in quibus ægrorum millia congesta decumbunt, et ubi ab omnibus Medicis tam eximié commendatum, et adeo ad putridorum efluviorum genesim præpediendam necessarium munditiei studium haberi nequit.

Ne quis, cum nostræ castrensis febris complicationem statuo, meam opinionem probare recuset, quod eam ratiocinando potius, quám observando adstruxerim, diligentissimi Practici, qui rem observatione comperiit, testimonium adferam. En igitur quid mihi de hoc negotio siscitanti respondit dilectissimus amicus Dr. Franciscus Pons Medicinam Figueriis, et in nosocomiis castrensibus illic erectis exercens:

,,Quæ

(b) *Ibid. pag.* 121, 39, 120, *et* 227.

(c) *Elementos de Medicina practica lib.*1.*cap.*1.*pag.* 21.

„Quæ hic grassatur febrilis ægritudo, veré componitur ex febre remittenti á cænosorum locorum miasmatibus ortâ, et malignâ continuâ, ex effluviis animalibus genita. Id arguere videtur, quod nonnulli, qui ob remittentem febrem in nosocomium venerant, quarto, vel sexto, postquam ab ea immunes fuerant, die, in continuam putridam, vel nosocomicam inciderunt; quod etiam hæc feré omnes corripuerit eos, qui ob vulnera in nosocomiis recipiuntur. At veró quod rem extra omnem dubii aleam ponit, id est: quod singulis diebus feré omnibus, febrili morbo decumbentibus, accidat exacerbatio post meridiem, quædam veró remissio mane".

Quæ cum ita sint, grassantem militum febrem ex continua, et remittenti compositam esse juremeritó dixi, adeoque ejus medelam peragendam compositâ, ut ita dicam methodo, quæ et periodum remittentem delére, et continuæ febrilem ignem extinguere potentissima sit. Huic scopo, ni fallar, corticis peruviani cum succis cruciferorum vegetabilium connubium meliús, quám omnia hucusque excogitata remedia satisfaciet. Etenim non id sperandum est, ut plerique solent, á cortice illo, qui licet adversus remittentes præstantissimum auxilium sit, et cui nullum aliud hucusque detectum æquiparari possit, nil valet adversus continuas, ut pag. 64 et 65 probavi, et confirmant plurima observata medica, inter quæ indicare mihi sufficiat ab Haenio adductum (*d*); hujus enim Practici, corticis usui addictissimi, testimonium tanti ponderis erit, ut á nemine recusatum iri existimo. Quare si liberalissimâ manu Kinam castrensi febre decumbentibus exporrigerint Medici, vel eam juxta leges, á Voullone, et Baumes in suis supra (pag. 65) laudatis Dis-

(*d*) *Rat. Medend. tom. 6. pag.* 11.

Dissertationibus statutas, quæ quidem religiosé observari debent, ne noceat illud remedium, quotiescumque recensita duplicis ordinis febrium conjunctio adest; id tantum eos assecutos fuisse existimo, ut periodum remittentem subjecerint, continuâ prorsus indomitâ persistente, et ægros in interitum ducente. Lethalis hic freqüentissimus castrensis morbi exitus inefficaciam certé prodit remediorum, quæ cum cortice copulata ab illis hucusque opposita fuerint, et ad methodi, á me propositę, vires experiendas invitat; etenim præterquam quod ab hujus efficacia multúm sperare faciunt in vigente ægritudine castrorum, quæ in Dissertatione adducuntur rationum momenta, et experimenta; pro ea instituenda pugnavit quoque visciditas humorum, quę in locis paludosis degentibus propria esse solet, juxta Pujati, et Lancisi observationes, quarum meminit Baumes, ac quæ sæpissimé dissolutionem antecedit (e); quamque profectó in ægris recensito morbo laborantibus observavit Dr. Pons; ita enim clausit laudatam epistolam: ,, In lympha residet vigentis febris causa, eamque proinde lymphaticam, minimé veró biliosam esse existimo. Et licet maculas lividas, latas admodum, stomacacem, aliaque dissolutionis, et scorbuti confirmati symptomata in quibusdam ægris observaverim, plerumque tamen visciditatis humorum, seu coagulationis effectus aderant". vero Ego duplicem observavi malignam febrem, aliam in Ruissilionis tractu á supradictâ causâ, aliam autem contagio illinc delato susceptam: in utrâque evidens erat remittentis febris cum continuâ copulatio, et corticis peruviani, atque succorum ex cruciferis herbis usus maximé profuit.

(e) *Del' usage du quinquina. pag.* 68. *et* 180.

116 ca[illegible]